IOHANNIS
RAPHAELIS
MOXII GERVN-
DENSIS,

SPICILEGII EORVM, QVÆ A VARIIS SVNT SCRIPTA DE curandi ratione per venæ ſectionem febres, quas putreſcens accendit humor,

LIBER SINGVLARIS.

AD

EVNDEM ADMODVM ILLVſtrem virum Saluadorum Fontanetum I.V.D. Regium conſiliarium, & in ſupremo Arragoniæ conſilio Regentem meritiſsimum.

Digitized by Google

LECTORI S.

AFfinitas diſputationum impulit, hunc libellum, quatuor prioribus adnecteremus: cùm in vtriſque methodum luſtremus venam ſecandi: illis, ſingillatim in morbis mulierum acutis, peculiaribus: in altero hoc, in vniuerſum in putridis febribus, etiam in vtroque ſexu. Verùm hanc cepimus prouinciam, vt æſtum (quantum nobis fas eſt) nouæ peſtis, orbem vniuerſum depopulantem attemperemus, vim eius refringamus. breui ſynopſi, vt nouatorum logodædaliam arguamus. Sed quia plures, plurima in hoc campo, ſpicilegium inde nos conſtruximus. Eo fruere, & Vale.

IN.

INDEX ET ORDO CAPITVM HVIVS SPICILEGII.

Inſtitutum proponit; methodum rationalem luſtrat in genere: eandem examinat in febrium putridarum curatione per venæ ſectionem. nouatorum opiniones conuellit eandem labefactantes.

CAPITVM SERIES.

Prooemium.

I. *De rationali methodo, qua de remediis deliberamus.*

II. *Qui morbi ſubijciantur methodo, & in quam intellectus partem huius methodi doctrina ſpectet vſus.*

III. *Methodi vſus in deliberatione venæ ſectionis.*

IV. *An ſanguinis miſsio indicetur, an & venæ ſectio.*

V. *An ſcopi plures ad miſsionem ſanguinis, præter illos tres ab Hippocrate, & Galeno conſcriptos.*

VI. *De multitudinis, ac plenitudinis notione, definitione, ac differentiis.*

VII. *De oneris, ac ſarcinæ ſignificationibus apud Galenum.*

VIII. *An onus in cunctis adſit putridis febribus.*

IX. *Epiphora de onere, ac multitudine.*

X. *An in omni febre, quam putreſcens accendit*

humor, ſit hauriendus ſanguis; & proponitur pars negans.

XI. *Pars affirmans exponitur ceu vera, quod in omni febre putrida ex eius natura tundenda ſit vena.*

XII. *Rationes conuelluntur negantis partis, quod in cunctis putridis febribus ſanguis non ſit hauriendus.*

XIII. *Vacuationis tantum gratia in febribus putridis ſecantur venæ, Nouatorum opinio.*

XIV. *In cunctis putridis febribus indicatio adeſt reuulſionis, aduerſus Neotericos demonſtratur.*

XV. *Conuelluntur quædam, quæ Nouatores aduerſus prædictam doctrinam nobis temerè obtrudunt.*

XVI. *Aduerſariorum diluuntur argumenta, quibus in febribus putridis, ob ſolam vacuationem ſanguinem hauriendum eſſe contendunt.*

XVII. *Infringuntur ſolutiones Augenij quorundam argumentorum fluxionem admittentium in cunctis putridis, febribus, & hanc venæ ſectione recellendam.*

XVIII. *Demonſtratur citra vllam plenitudinem fas venas ſecare in febribus, & Galeni locus lib. 1. ad Glauc. interpretatur.*

XIX. *Illuſtratur locus Galeni lib. 8 Meth. cap. 4. aduerſus Nouatores, & progreditur inſtitutum.*

XX. *Conuellitur altera Augenij lectio loci ex lib. 8. Meth. deſumpti.*

XX. *Tuetur & noſtra prædicta interpretatio eiuſdem*

dem loci 8. Methodi, aduerſus quendam Neotericum.

XXII. Plenitudo, & fluxio citra morbi magnitudinem per ſe indicantia ſunt venæ ſectionem, Augenij opinio.

XXIII. Refringitur prædicta Augenij opinio, & firmatur oppoſita.

XVIV. An plenitudo, iuxta Augenij decretum neceſſariò, ac ſemper venæ ſectionem indicet.

XXV: Luſtratur Galeni locus lib. de cur. rat. per venæ ſect. ca 9. aduerſus Augenij mentem.

XXVI. Sylloge totius ſpicilegij, & probatur, ad venæ ſectionem, nulla adſit neceſſe eſt plenitudinis differentia.

IOANNIS RAPHAELIS

MOXII GERVNDENSIS

Spicilegium.

Eorum omnium, quæ à variis ſunt ſcripta, de curandi ratione per venæ ſectionem febres, quas humor putreſcens accendit:

PROOEMIVM.

TOT, & tanta à grauiſſimis viris, non heroicis illis temporibus ſolùm, verùm & iſto aureo noſtro ſæculo, & à quibuſdam ex his ad nauſeam vſque, de curandi methodo per venæ ſectionem febres, quas putreſcens accendit humor, conſcripta ſubtili quodam iudicio, & acri ſimul ſtylo apparent; quod qui huiuſmodi munus aggredi modò ſtudeat, imprudens, noctuas protinus Athenas mittere certò videatur. Remoratur proinde

de mens noſtra, torpet pariter & dextera. Sed cum acriculi quidam adſint, pullulétque indies, qui ſermonum turgentia, & rationum iugiter procacitate (omni poſtpoſita iudicij directa norma) plurima ſuadere conentur, aduerſus accuratam, ac veram medendi methodum: qui rurſus cùm tempus terant, & in multiplici potiùs verborum, quàm rerum inuentione, in ſuaſione magis, quàm copia rationum plerumque natent, & ægrè aliquid expediant cui inſiſtát: (aduerſus quos viri claſſici aliquot, Hiſpani, ac Itali acriter inſurrexêre) animus vnà concitatur noſter, & fræna laxantur menti, vt funditus illorum demoliantur principia, propellantur, & auerruncentur omnino vmbratiles eorundem opiniones. Horum itaque cùm tanta ſit pertinacia, ac mentis iugiter peruicacia, cum nuſquam acquieſcant, nec victi adhuc victoriæ litent: immò turgenter, ac veloci quodam ingenio, de nouo ſemper aliquid moueant, & quieta, nec quieta ſinant: exardeſcit hinc mens noſtra, vt in hos dialogiſtas, breui quadam ſynopſi, logodædalię oppoſita, vehementer modò inuehamur. Ad hoc munus, graue ſanè, poſt inſignes viros obeundum,

nos quaſdam legimus ſpicas, conſtruximus faſces à meſſoribus fortè, aut adhibito ſtudio,aut ob rei nouitatem prætermiſſas : ex quibus, Summo permittente Numine, citra quod, teſtante Hiſpanorum Eloquentiæ flumine lib. 8. Epiſt. epiſt. 59. ſubtilitas nulla, trituratis apprimè conficietur panis, cuius robore quiſque ocyus ad culmen difficultatis peruenire valebit. Illud prætereà impulit ad hanc accipiendam prouinciam noſtrum hunc animum, quod cum ſuperioribus libris diſputationem fuerimus aggreſſi, de curandi ratione per venæ ſectionem morbos muliebres acutos, vt abſoluta remaneret diſceptatio in operis calce methodum traderemus exactam medendi putridas febres per eandem venę ſectionem. Nam cùm inter omnes morbos, & frequentia,& vſu primum ſibi vendicet locum febris ipſa putrida,infenſiſſimus ſanè generis humani hoſtis (quàm proinde vti Deam impiè venerabantur Romani,vt propitiam ſemper haberent)hinc eiuſdem febris exemplo, methodum hanc exercere modò decernimus: eandem rurſus diuini Hippocratis, & ſũmi Galeni, naturæ ambo quaſi genij,& antiqui,illuſtréſque rerum medicarum

m exploratores, accurata, & frugifera ctrina, relictis cunctis ambagibus, de- confirmare. quam multi, cum forſan primoribus labris deguſtaſſent, inani- quiſquiliis argutis ſtrophis, ac per- tis chimæris obtenebrant, & eorun- fluminum perennem aquam, cry- o nitidiorem exagitant, fœdant, in- que perturbant. Inſtituti igitur ratio is eſt demonſtrata, quòd in omni fe- quam putreſcens accendit humor, ex ura morbi, hauriendus ſit ſanguis, haud quam quia plenitudo præſens, aut fu- . Rurſus & eandem ſectionem ſemper in febribus exercere, ob duplicem um, & reuulſionis, & vacuationis. De- ue quidquod aliqui Nouatores, aduer- hanc doctrinam fruſtra ſibi compara- , funditus euertemus. Verum, vt dilu- ior, & exactior enarratio procedat, s quædam conficere prodidagmata et, ad methodum medendi quàm ma- è ſpectantia.

De rationali methodo, qua de remediis deliberamus.

Cap. I.

Cvncta velle recenſere, quæ de hoc à nobis ſuſcepto inſtituto à quibuſdā Neotericis enarrantur, etiam & quod magis eſt ab vno ſolo Horatio Augenio haud dubiè erit quantum illud Perſij impoſſibile,

Sambucam citius caloni aptauerîs alto.

Proinde circuncifis cunctis ambagibus, ne faſtidium paremus lectori, vt & inſiſtamus ſimul conſilij noſtri rationi, qui ſpicilegium componimus, dirutis pariter aduerſariorum fundamentis, Galeni doctrinam inſignem, à grauiſſimis quibuſque viris ſeriò ſemper amplexam, erigere omni arte ſtudebimus. Verum cum Galeni doctrina ſemper accurata procedat methodo, qua & rationales etiam Medici, tanquam organo præſtanti, morbos profligant, & finem conſequuntur artis: hinc de hoc inſtrumento in genere quædam explanare lubet, vt exactè noſtra proſequatur oratio.

Methodus, quæ via certa eſt ad rectè operandum, in morborum curatione duplici præſertim indiget inſtrumento, ad finis conſequutionem: primum indicatione, mox & ſcopo. Indicatio quoniam duplici itidem conſtat parte, indicante, & indicato, ſub quo continetur & remedij

mate-

materies definitur à Galeno lib.2.meth.ca.7.*inuentio citra experientiam, orta ex ipſa rei natura, & ab ipſa quod eſt ſequens*. Hæc definitio (altera reiecta ad Thraſyb.ceu vacua,& Galeno indigna) cũ omnes ſui definiti partes complectatur,abſoluta cenſenda. Comprehendit namque non ſolum therapeuticam indicationem, verum & ſalubrem, cùm vtraque Medicinæ pars procul dubiò ſuis etiam fruatur indicationibus. Rurſus definitur per hanc indicans ſimul & indicatum: quæ ſunt definiti partes. illud, per illa verba *ex natura rei orta*, ſcilicet,indicantis: hoc, per alia, *& ab ipſa quod eſt ſequens*, videlicet, re ex ſua natura indicata, ſiue ea cauſa efficiens ſanitatem ſit, ſiue conſeruans eandem: iuxta vtramque Medicinæ partem. Nam ſi morbus eſt, hic ex ſua natura indicat ſui ablationem per contrarium quod eſt indicatum: ſi natura verò, ſui cuſtodiam per ſibi ſimile, quod etiam illius indicatum eſt. Genus in hac definitione inuentio eſt,quæ cum oriatur ex rei natura, accuratè Galenus illud *citra experientiam* adiecit: cum inuentio per experientiam omnino rei reſpuat naturam,ceu & altera quæ per analogiſmum; cum illa obſeruationem tantum æſtimet, eorum quæ ſæpè & eodem modo perſpiciuntur, ex Galeno lib. de ſubfigurat. Empir.cap.3.hæc altera verò ſimilitudines obſeruat:nulla autem harum inuentionum, rerum naturas.Inuentio itaque genus,continens tres illas differentiàs:& omnis ex Ariſt.li.1.de demonſt. c.1.ex præcognitis fit, & de omni mentis operatione dicitur, qua res inuenit artifex, ad artem quam pertractat ſpectantes: ſiue operatio illa mentis methodica ſit & rationalis, ſiue inductiua per experi-

menta varia,ſiue analogica, & per ſimilitudines aliquas parta. In hac definitione genus iſtud contrahitur per propriam illam differentiam, citra experientiam, ſub qua hauddubiè analogiam fuit amplexus. Nec ratio difficilis; quia cum omnia, quæ requiruntur ad faciendam medicinam duplici tantum organo inueniantur, ex Galeno paſſim,& præſertim libro primo Aphoriſmorum,ſententia prima, ratione,& experientia, hac ſemota, neceſſariò tantum aderit ratio. hinc, eodem methodi capite Galenus paullò infra inquit, *Indicatio eſt quidquid ab experientia ſeiunctum eſt*: quaſi ratio, & indicatio in vnum conueniant, vt apertè illuſtrat Galenus libro tertio Prognoſtic.ſentent.trigeſimanona. Vnde Medici apprimè rationales vocantur, ex vſu indicationum in therapeutica methodo, & ab Empyricis,ac Dogmaticis exinde diſtinguuntur;tanquam vtrique hi rationem reſpuentes, ſola contenti obſeruatione,aut analogia. Indicatio igitur ratio eſt, ſeu mentis actio diſcurſiua.Iſtud præter Galeni teſtimonium, ex lib. præſertim de ſectis,capite tertio & quinto,petitum,acuta valemus nos ratione demonſtrare. In omni indicatione, quamprimum in mente indicans concipitur, mox ad indicatum ſtatim illa conuertitur: quibus vnà comprehenſis illicò hoc indicans indigere illo altero indicato concludimus, ſiue vt conſeruetur natura in parte ſalubri, quod fit per ſimilia, ſiue vt depellatur morbus in therapeutica, quod itidem per contraria. Sed hoc ex Ariſtotele apprehendere, videlicet, & concludere eſt ratiocinari: ergo indicatio amplectetur ratiocinium neceſſariò.

Quod

Quod ſi dicant iſtud vnico intellectus motu fieri citra diſcurſum, ac elicitam concluſionem, negabimus, ceu falſum. nam cùm actu comprehendantur diuerſa; & inter ſe diſtincta, ſiue oppoſita ſint, ſiue ſecus, & hæc neceſſariò componamus ad vnicum artis finem, tranſeundo ab indicante ad indicatum ipſum, quæ compoſitio, ac tranſitus, cum neceſſariò requirat diſcurſum, neceſſariò fatendum in indicatione actu eſſe ratiocinium. cuius etenim vtilitatis eſſet, mente indicans & indicatum comprehendere, ſi iſtud ad illud non referremus, eaum in ſe inuicem non connecteremus ad vnam eliciendam concluſionem. Hanc rem cum obſeruaſſet Fabius Pacius comment. in lib. 2. capite 7. auſus fuit affirmare indicationem non ſolum ratiocinium includere, verum & demonſtrationem eſſe, quia vti demonſtratio ſuis conſtat principiis, ita & indicatio. hæc etenim vice primæ propoſitionis, quæ ex Ariſtotelis libro primo de demonſtrat. capite ſecundo, ex principiis conſtat, & ſuo fruitur principio; quale in Therapeutica eſt, contraria ſanantur contrariis, in ſalubri verò ſimilibus gaudet natura, & conſeruatur. hac in mente præpoſita propoſitione, mox alteram quamprimum componit ex vi indicationum elicitam, qua inuenit, & exprimit genericam vel ſpecificam oppoſitionem, vel ſimilitudinem. & tandem ex his præmiſſis concludit: ergo hoc, vel illo contrario, aut ſimili expungendus morbus, vel ſeruanda natura. Cæterum hæc quamuis acutè ſint dicta, nihilominus tantum non tribuerem indicationi, vt demontionem cenſerem: cum & plurima requirant

tur in demonſtratione conſtituenda, quæ quidem in ipſa indicatione non concurrunt, etſi ſuis principiis non deſtituatur. Demonſtratio namque ex Ariſt. citato loco neceſſariò conſtat ex veris, immediatis, prioribus, notioribus, & cauſſis conclusionis: in accurata demonſtratione rurſus mediū eſt definitio eſſētialis ſubiecti: porrò omnes propoſitiones demōſtrationis ſunt vel in primo vel ſecundo modo dicendi per ſe, cōcluſio perpetuò in ſecundo modo, ex eodem Ariſtot. citato lib. cap. 4. Hæc cuncta longè recedunt ab ipſa indicatione, cum ſimplex ſit enthymema, ſimplicíque connotatur comprehenſione indicantis, & indicati. quid quod nec adeſt in ipſa ſubiecti definitio, immò nec ac ipſa paratur ſcientia, cum res non definiatur per ſuam cauſſam. hoc autem ad methodum rationalem ſpectat, quæ paratur non ſolùm ex obſeruatione diuerſarum indicationum, & aſſidentia ſcoporum: quæ omnia cum in conſilium vocentur, hinc naturæ de auxilij materie adæquata deliberatur, cuius dexter vſus alios itidem requirit ſcopos, quantitatem, qualitatem, vtendi modum, & occaſionem, & iſtud à Galeno li. 11. meth. c. 1. auxilium propriè dictum, appellatur, tanquam immediatum auxilium. Quare cùm intellectus abſolutè rem per ſimplicem indicationem nō definiat, cum hęc tantum terminos vniuerſales attingat, ſimúlque aliquam mentis operationem circa eoſdem terminos connotet, hæc hauddubiè non gignet ſcientiam, qualem parat hauddubiè demonſtratio. Quod fortè auctor libri ad Thraſybulum cùm obſeruaſſet, hanc videlicet inchoatam, ac imperfectam mentis operationem, in ipſa indicationis definitione extra

men-

mentem Galeni, ac veritatem, illud citra ratiocinium adiunxit: cui haud quaquam aſſentiri quimus: cum non potentia, verum & actu omnis indicatio cum ratiocinio procedat, neque ad hanc actualem mentis operationem neceſſum eſt, mens ſuis obſeruatis analyticis præceptis, ſyllogiſmum, aut ſaltē enthymema componat: cum ſufficiat diſtincta, & varia cognoſcat, & exinde ratiocinando concludat: & proinde Galenus in illa exacta definitione ſolam experientiam expungit. Hanc Galeni definitionem vnicè amplectitur inſignis Doctor meus Ludouicus Colladus in ſua Iſagoge cap. 9. ad faciendam Medicinam, cum ſolam experientiam ab indicatione etiam reſpuat, & alteram referens auctoris ad Thraſybulum, nullam facit (ceu negligendum) de ratiocinio mentionem. Quare & arguendus Saluus Selanus, qui lib. 3. Art. Med. ſent. 35. ratiocinium nullum eſſe in indicatione retur, ex eo, quia brutis eſt illud notum citra rationem, contraria contrariis curantur. Verum cum bruta nutu quodam naturæ operari videamus, & plurima quidem prudenter analogicè, vt cenſet Ariſt. libris de hiſt. animal. paſſim, ídque citra prudentię habitum, quid mirum naturam indoctam, conferentia docuiſſe ad illorum commodum? quid quod, & vi æſtimationis, quæ reſpondet noſtræ cogitatiuæ, plurima operantur & ipſa, quæ operationes inferioris notæ ſunt, quanto ipſa facultas inferior. Damnanda igitur illa auctoris ad Thraſib. definitio, ceu à Galeno aliena; cum ab ipſo lib. 3. meth. cap. 1. quicquid tantum ab experientia ſeiunctum eſt, id totum indicatio appelletur.

Porrò indicationes duplicem dicunt reſpectum,

aut alterius ad alteram, aut indicantis ad indicatum, ex alterius reſpectu ad alteram, dicuntur contrariæ, diſcordes, aut rurſus coindicantes, & concordes inter ſe indicationes. verum reſpectu indicantis ad aliud quoduis indicatum, dicentur potius prohibentia, vel conſentientia; vt indicatum elicitum à proprio ſuo indicante prohibetur ab altero adſtante indicante, vel ipſi aſſentitur potius. nequaquam admittenda contra indicantia, quæ tantum ex aliorum ſententia admiſit Galenus lib.9.meth.c.7. Sed de hoc inſtrumento methodi ſatis, cùm ſcopi diſputatio iam nos aliò aduocet.

Scopus itaque, qui ex Auctor, c.9. introductorij eſt, id quod artifex appetit, quatenus non contingit, veluti ſi contingat finis potiùs, in doctrina Galeni duplici ratione ſumitur, aut pro intentione, qua appetit artifex finem aliquem conſequi, quod propriè ſcopus eſt: aut pro præpoſito, cum quo intendit deliberare de accommodato medio ad finis conſequutionem. relicto priori modò, cuius latiſſimus eſt campus, cum indicantia itidem & ſuos habeant ſcopos, ſuos itidem indicata, ſuos tandem & methodus, & cuiuſque huius pars, qui nihil aliud ſunt quàm fines in intentione artificis, mouentes eius animum ad conſequutionem alterius externi finis. Lubet modò de altera ſcopi ſignificatione ad noſtram conſilij rationem multò magis ſpectante verba texere. Sumitur itaque ſcopus hoc modo pro præpoſito, quo intendit artifex decernere de accommodato medio ad finis conſequutionem. Sed rem illuſtremus exemplis, finis, quem intendit medicus in therapeutica eſt, morbi ſublatio, quo mediante vltimatum ipſe finem conſequitur artis, ſanitatem

tatem videlicet. Ad conſequendum illum finem propoſita ſibi methodo, & æſtimatis cunctis indicationibus, & vnà ſcopis propriè dictis, qui quidem inſinuant artifici ſanguinem, verbi gratia, mittendum eſſe, indicante morbo magno, concordibus pariter exiſtentibus reliquis coindicationibus, aut ſaltem plurimis, aut dignatione maioribus, poſtulantibus itidem ſcopis indicantibus, aut reuulſionem magnam, aut vacuationem, quibus aptè ſatisfaciunt ſcopi materiei auxilij, cùm venæ ſectio & reuellat, & vacuet perbellè. oportet tamen adhuc, ad deliberandum in hoc conſilio de hac materie auxilij aduocare, ac præponere, quidem menti ſcopos alios requiſitos ad exactam eiuſdem auxilij deliberationem, quale venæ ſectio eſt, hos cum Hippocrate Galenus tres eſſe connumerat, aut ſi mauis, duos, morbi magnitudinem, virium robur, ætatem florentem: his enim præpoſitis adſtantibus neceſſariò vena ſecanda. non quòd hi ſcopi indicent hanc ſectionem: ſed quia quod ex methodo elicitur, ſi adſint, confirmant, quaſi iudicis menti aſſidentes. Quare hi ſcopi ſunt ad deliberationem materiei auxilij, ſub ratione magnitudinis: ad vſum autem eiuſdem dexterum requiruntur & alij ſcopi ſeu intentiones, quæ materiem auxilij ſuis quibuſque lineamentis exornant ac perficiunt, hi autem ſunt quantitas, qualitas, vtendi modus, & occaſio, quæ omnia requiruntur neceſſariò ad congruum cuiuſque materiei auxiliorum vſum.

Ex his innoteſcit palàm quod indicatio, & ſcopus mentis ſint ſpecies, & materialiter idem (vt cum noſtris logicis loquamur) cum quod ſcopus

eſt, per alteram rationem formalem dicatur indicans, & contrà: & proinde ſæpè hæc duo nomina confunduntur, & promiſcuè recipiuntur, vt videre eſt paſſim etiam in Galeni libris, præſertim libro nono methodi, capite decimoſeptimo: tum ſeptimo de compoſitione ſecũdùm genera, cap. primo: cum & ipſe deliberationes methodi etiam indicationes aliquando κατασχετικῶς vocet. Diſtinguuntur tamen per hanc rationem formalem, quod ſcopus eſt propoſitum in artificis ſpeculatiuo intellectu, ab obiecto exortum, ſeu indicante, quod mouet illum ſimplici motu, & apprehenſione, citra rationis diſcurſum, obſeruationem, & analogiſmum: indicatio autem, quatenus huiuſmodi intellectus cognitio elicitur ab indicante & indicato, idque cum aliquo ratiocinio: quæ indicatio ἔνδειξις Græcis, quaſi digito quodam monſtrans, aut τεκμήριον, ſeu certum ac indubitatum ſignum, vnum perpetuò ſignificans, appellatur.

Expoſita indicationis definitione in genere, oportet penitius eius partes ſingillatim declaremus, hæ autem ſunt indicans, & indicatum. Indicans igitur eſt quidpiam exiſtens in noſtro corpore actu: & definitur, notum quidpiam, ſeu manifeſtò in corpore ſubſiſtens ac permanens, vtile quid repræſentans, aut ad ſanitatis conſeruationem, aut ad rei præter naturam ablationem.

Indicatum porrò definitur, id quod indicante cognito, tanquam vtile apprehenditur. quod in parte

te therapeutica eſt auxilium, ſeu auxilij idea, in ſalubri res illæ ſex non naturales. Indicantia rurſus ſub ternario præcipuè continentur numero, quorum ex his duo per diuerſas rationes ad vtramque Medicinæ partem appoſitè referuntur, qualia ſunt indicantia à viribus, tum à natura: aliud therapeuticam tantum ſpectat partem, quale indicans eſt à morbo. Aër autem ambiens (ſub quo regio, anni tempus, & cœli ſtatus comprehenduntur) indicans non eſt per ſe, ſed aut vnà cum morbo, aut natura, aut viribus indicare dicitur, quaſi per aliud indicet. Indicata verò nequeunt ſub certa numeri lege contineri, cum tot ſint, quot morborum ideæ, ac reliquorum præter naturam, aut ſecundum naturam (in ſalubri) affectuum. In methodo curatiua morbus eſt à quo primò indcatio ſumitur ex Galeno, libro nono methodi, capite decimo. vnde hæc indicatio ὁρμητικὸν à Græcis appellatur, quaſi methodi incitamentum. Sub morbi nomine eius cauſſam, ac ſymptomata contineri autumamus.

Cæterum in ſalubri methodo hæc eadem prima indicatio pariter à ſanitate petitur. Reliqua cuncta, quæ concurrunt in vtraque methodo, coindicantia potius appellantur, quia hæc per ſe nihil, ſed vnà cum morbo, aut natura indicant. Ex quibus quædam ſunt concordia, alia diſcordia: illa hortantia, ſeu conſentientia vocantur, hæc verò dehortantia; & hæc perperam ab aliquibus contrà indicantia nominantur, cum nullatenus contrarium quid

indicent, ab illo primo indicante, immò dehortantur tantum, ac diſſuadent, quod prima illa indicatio poſtulat.

Tandem eſt non leuis difficultas, qua ratione dictum ſit ſuprà, omnem affectum præter naturam indicare ſui ablationem per contraria, ídque ex natura rei: nam nulla res eſt in tota natura, quæ ſui corruptionem indicet, ac exoptet, cum potius cunctis rebus ſit à natura tributum, ſui omni ſtudio intendere & appetere, non ſpecificam ſolùm conſeruationem, verum & indiuiduam.

Satisfaciemus huic dicendo, indicationem non eſſe rem naturalem per ſe exiſtentem, ſed mentis conceptum; concipit autem mens affectum illum per ſe exiſtentem, non in genere, vt ens eſt naturale, & per conſequens bonum, verùm vt res præter naturam alicui priuatæ naturæ noxia, & infauſta, per quam rationem formalem æſtimat auferendam; quod ſi auferenda, cum contraria nata ſint vincere ac deſtruere ſuum contrarium: ex natura affectus indicantis connotat mens auferendam eſſe ſuo contrario, tanquam aptè nato illam vincere. perit námque, ac deſtruitur quodcunque à contrario, & in contrarium. Hinc cognita re præter naturam, quæ indiuiduam laceſcitur naturam, ſtatim citra vllam experientiam, aut analogiſmum, ſed ſimplici ratiocinio cognoſcimus eius contrarium valens eſſe illam corrumpere, ac deſtruere; & hac arte iugiter ſanitatem efficere (quod eſt vltimatus artis finis.) proinde Galenus lib. Art. Med. cap. 84. auxilia quæ morbos euincunt, cauſas appellant ſanitatem efficientia, etſi

per

per accidens,ac ſecundariò hoc præſtent,remouendo videlicet morbum, eam exoluentem.

Qui morbi ſubiiciantur methodo,& ad quam intellectus partem hæc methodi doctrina ſpectet.

CAP. II.

MOrbi in vniuerſum in duplici ſunt differentia, alij quorum naturam ratione aſſequimur, alij verò haudquaquam, ſed ceu nobis occulti ſola experientia, & obſeruatione. conſultiſſimus Naturæ Auctor cum diſponat cuncta ſuauiter, vtriſque pariter ſumma prouidentia adæquata auxilia præuidit: morbo nobis ratione manifeſto, auxilio iugiter manifeſtæ facultatis occurrit, quo valens ſit illum vndique eruere: rurſus morbo occulto, cuius naturam ratione conſequi nobis fas non eſt, ſimiliter præbuit auxiliũ abſconditæ facultatis, quod toto genere, vel tota ſubſtantia operari inquit Galenus. hæc ſunt præſertim alexipharmaca, alexiteria, & cathartica, quorum omnium ſylua prægrandis. Illa occurrunt morbis toto genere deleteriis, altera animalium venenis, vltima tandem humores prauos è corpore educunt. Cæterum veluti illarum cauſarum efficientium ſanitatem facultates nobis deliteſcunt, ita vt, teſtante Galeno libro ſexto, de ſymp. med. fa. cap. de abro. impoſſibile ſit has ex ratione inuenire, præter-

quam quod in quibuſdam ſuſpicionem duntaxat probabilem, immò ſola experientia: ſimiliter cauſas huiuſmodi inſalubres, quæ noſtrum corpus valent à tota ſubſtantia laceſſiri, ſiue morbi ſint, ſiue eorum cauſæ, impoſſibile pariter eſt ratione inuenire, atque cognoſcere, ſed ſola experientia freti.

Cum itaque vtriuſque naturæ ſe nobis offerunt paſſim ſanandi morbi: dubium quidem eſt, nec ſanè leue, an omnes hi ſub curandi cadant ratiocinalem methodum: an tantum illi, quorum natura ratione inuenitur, & eorum iugiter auxilia, ſemota vndequaque experientia.

Si methodi naturam obſeruemus, quæ ſuis conſtat indicationibus, & ſcopis; indicationes rurſus indicantibus & indicatis, quę omnia ſola ratione inueniuntur, & dignoſcuntur, vt abundè ſuprà ex Galeno diximus, proculdubiò morbi tantum ratione inuenti, & quorum itidem ratione inueniuntur indicata auxilia, ſub methodi carceribus continebuntur. reliqui cum reſpuant indicationes, tam reſpectu indicantis, quàm indicati, ſola experientia, & analogiſmo contenti methodum itidem rationalem negligent.

Hanc rem cum noſtro Galeno libro decimotertio methodi, capite ſexto, videtur innuere Auctor ad Thaſybulum, capite octauo, & nono; cum Rationales Medicos introducat medios inter Empiricos, & Methodicos: cùm ille vtatur cum Methodicis methodo, ac ratione, in morbis ſanandis, qui cauſam habent rationi ſubiectam:

ctam: & cum Empiricis obſeruatione, & analogiſmo, in morbis curandis, quorum cauſæ ſola obſeruatione, & experientia inueniuntur, ac dignoſcuntur. quibus ambobus etiam inſtrumentis vtitur in expunctione illorum morborum, quorum cauſæ partim innoteſcunt, partim occultantur, verum præcipuè analogiſmo: quia hic comparatio, & perceptio eſt cauſarum iuuantium per ſimilitudines, & proinde nos aliquam habere debemus rei cognitionem, cum qua fit comparatio.

Cæterùm, quamuis inuentio, & dignotio vtriuſque cauſæ ſalubris, & inſalubris in morbis toto genere nobis infeſtis debeatur ſoli experientiæ, & obſeruationi, teſtante exſertè Galeno libro decimotertio methodi, capite ſexto, nihilominus explodenda non eſt methodus rationalis, cum diſponat ſeriò cunctorum vſum, & ratione æſtimet cuncta illa experientia inuenta, dirigátque apprimè omnia ad finis conſequutionem. Vnde in his morbis ſæpiſſimè methodo ac ratione de plurimis deliberamus auxiliis, etiam ratione inuentis, ob connexum aliquorum affectuum, quorum natura etiam ratione dignoſcitur. Quid quod & de experientia inuentis, iuxta quatuor medendi ſcopos, etiam ſua quæque methodo dicernimus. Rurſus & auxilij materies, quas experientia ſola comparauimus, ſumma ratione in ſe inuicem componimus, vt videre eſt in alexipharmacis antidotis, Theriaca, ac Mithridatio, methodo

ineffabili, ac ratione compoſitis. Sed vltrò iam nos procedamus oportet, & inquiramus ad quam intellectus partem hæc methodi doctrina ſpectet, nam cùm rationalis ſit, ratione ſubiici cenſendum.

Methodus itaque iſta rationalis duo præſtat munera, inuenit namque quamprimum indicantia, tum indicata, rurſus vſum horum inuentorum præbet, & quid faciendum artificioſè docet. Inuentio haud dubiè cùm ſpeculationem mentis requirat, ad intellectum ſpeculatiuum hæc methodi pars ſpectabit: verùm cùm vſus opus reſpiciat, ad cuius proſequutionem habitus requiruntur practici, præſertim prudentia, hinc hæc altera pars ad practicum potiùs intellectum. præcedunt namque materiei auxilij deliberationem, præter ſolertiam, qua inuenitur conſilium, ac conſultatio, quæ in intellectu practico exercentur. Adeſt autem in hoc intellectu potentia quædam συνέσις dicta, quæ de agibilibus bene, ac perfectè iudicat, in qua ſimul reconduntur artium habitus. Quare methodus rationalis vtroque indiget intellectu, ſpeculatiuo, vt exploret, ac inueniat, practico vt prudenter de inuentis diſponat: quæ maior, & præſtantior pars eſt in ipſa curatione. Verùm cùm rariſſimè vtræque potentiæ in ſingulis hominibus præpolleant, vt quotidianum teſtatur experimentum, ídque ob diuerſitatem temperamentorum, quo indigent inferiores potentiæ ſingulis illis miniſtrantes, hinc variæ exurgunt harum facultatum energiæ. In quibus enim cerebrum calidum, & ſiccum eſt,

nec ſubſtantia denſum ac craſſum, ſpiritus pariter ac ſanguis calidus, perlucidus, ac tenuis, hi ingenio pollent maximo, intellectus ſpeculatiuus acerrimè contemplatur ideas, diſertè illi loquuntur, facundi ſunt, ſolertes, ad docendum dexterrimi. Verùm cùm prudentia, ac conſilio careant, ad curandum minus apti. In quibus autem contrà temperatius fuerit cerebrum, craſſum moderatè cum ſiccitate, ad melancholiam vergens, nec ita tenues, ac feruidi exiſtant ſpiritus, ac ſanguis, his & *σύνεσις* excellit, & prudentia pollent, qua cuncta bene diſponunt, etſi minus ad docendum idonei, ad praxeως tamen vſum valde habiles. Illi igitur ingenioſi, hi prudentes, illi inuentores, hi optimi diſpoſitores. Ingenium namque definitur actus mentis excitatus à ſenſibilibus, deducens à quibuſdam principiis alia: qua mentis actióne difficilia cognitu, facilè comprehenduntur. Verùm quando intellectus opus illud quod iam effecit per reflectionem perpendit, æſtimat iugiter, atque recognoſcit, iam non ingenium illud, ſed iudicium potiùs, & in hac recognitione, vt plurimum deficiunt ingenioſi: quia cùm celeriter illud mentis opus efficiant, tanquam mobiles (quod à bilis caliditate, & tenuitate prouenit) vllam moram non ſuſtinent, vt iterum per reflectionem opus illud ſpeculatiui intellectus explorent, rimentur. quo non præſtito neque de rebus ipſis accuratè iudicant. hoc enim eſt manſorum veluti quædam ruminatio ad conſilia coquenda, & maturè mox euulganda. Sed munus hoc ad prudentes ſpectat; quorum habitus ceu raram auem contemplabatur in terris

Anachoritarũ Pater Magnus Antonius. Quamobrem ex his elucet palàm, ingenioſos, & acriculos, intellectu ſpeculatiuo pollere, in quo inſectibilia amplius figmenta componunt, chimæricas notiones eliciunt, vnde logiſtici apprimè dicti, & à Galeno ſimul, tanquam ad morborum curationes inepti paſſim repulſi: cum languescente *συνέσει* malè eligant, & de opportunis auxiliis ad morborum curationes, deprauatè per varios indicationũ vſus, ipſi deliberent: iuxta illud elogium, *nullum acre ingenium ſine amentia.* Cauendum igitur ab his acriculis, ſeu amentiæ expoſitis. colenda omni ſtudio, frequentíque vſu exercenda *σύνεσις*, potentia in intellectu illo practico ſita, qua maximè indiget ſeria materiei auxiliorum deliberatio, in qua conſiſtit eumethodi finis: commendanda itidẽ Medico prudentia, quã nutrit vſque, & ſæpè exculta vegetior redditur. Vnde ſenum habitus: & quia in ſenioribus excellit, Antiqui, teſtante Cicerone in Catone, Conſilium ſupremum à ſenio ſenatum vocarunt, & Magiſtratus ſolis his committebant ſenioribus. Quod autem Medicus inter reliquos artifices maxima indigeat prudentia, atque acri cõſilio, illud quamprimum demonſtrat, quòd artem permultis coniecturis plenam exerceat, & ſæpiſſimè conſulat de his, quæ ad finem artis conſequendum ſpectant; quæ omnia citra conſilium, aut prudentiam fieri nefas quidem aut ius.

Metho-

Methodi vſus in deliberatione venæ ſectionis.

CAP. III.

CVm neminem, teſtante Galeno, doctũ reddat vniuerſalis doctrina, niſi ad ſingularia deſcendat, proinde nos, expoſita prius vniuerſali methodo, eandem modo fas eſt, iuxta conſilij noſtri rationem, vſu exerceamus, & demonſtremus qua ratione ſub methodi legibus venæ ſectio in morbis magnis deliberanda veniat. In rationali itaque medendi methodo, vt innuit Galenus lib. de Sectis, ca. 3. quàm primum, quæ à morbo ſumitur indicatio, æſtimamus, mox reliqua coindicantia, à primis ad proximas vſque: deinceps in conſilium aduocamus ſingula, & cuiuſque vires perpendimus: præſidente in hoc conſilio mente, & aſſidentibus iugiter, tanquam primis propoſitis, ſcopis. Mens igitur pro tribunali ſedente (lubeat modò ad faciliorem intellectionem vnà cum Oribaſio lib. 7. collect. ca. 2. hac vti allegoria) huiuſmodi lege, ſuum fert iudicium, & conferens ſingulare inuenit auxilium, & ceu opportunum eligit. Hoc voluit itidem inſinuare idem Galenus libro 11. meth. c. 2. dum loquatur, *particulares indicationes materies remediorum inuenire.* quaſi dicat, ex obſeruatione ſingularum indicationum, ſcopis haudquaquam neglectis, nos apprimè non auxilia ſolum, verum & eorum materias inuenire. Sed exemplo rem hanc luſtremus, vt dilucidior fiat diſputatio.

Ponamus,ex hypotheſi, ſynochum putridam nobis ſe offerre ſanandam. Morbus iſte non magnus ſolum, verum & acutus, & in eo ſeptem illi occurrunt affectus cunctis putridis febribus communes, quos eodem 11.meth.cap.13.recenſet Galenus,& itidem lib. de inæquali intemp. cap.1.2.& 6.& comm. 1.in lib. de Med. offic.ſen. 1. & ſui ablationem indicare per contraria refert: quia morbus, ceu & reliqua omnia præter naturam cum immoderatæ res ſint,ſanitas verò Medicinæ finis cum in moderatione potius conſiſtat, ad hanc per oppoſiti actionem tãtum peruenire ius eſt.ex Galeno enim,tum in arte Medica,tũ 8.meth.c.89.immoderatũ ab immoderato cõtrario redigitur ad mediocritatẽ.Septem igitur illi affectus indicantia ſunt, indicata verò contraria valentia illa immoderata, & præter naturam exoluere.Ex his affectibus,ſi analyticè procedamus, plethora nobis quamprimum obuiam fiet ſananda,ceu reliquorum affectuũ cauſſa efficiens in ordine cauſſarum prima, obſtructionem videlicet germinans, & hæc mediante prohibita tranſpiratione putredinem,proximam febris cauſſam. reliquis nunc omiſſis, iam priorem illam cauſſam exploremus oportet. Plethora itaque,docente Galeno lib.de ſect.capite 5. inanitionem, ſeu vacuationem indicat:quia teſtante diuino dictatore tum lib. 2. Aph. ſen. 22. tum lib.de flat. repletio inanitione, veluti inanitio repletione, tanquam inuicem oppoſita curantur. Inuenit igitur plethora,ceu indicans,ſibi adęquatam auxilijideam. hæc autem generica cum ſit, plures ſub ſe continet auxiliorum differentias, quas appoſitè materias auxiliorum cum Galeno appellãmus, venæ ſectionem,

pur-

gationem, vtraſque cucurbitulas, hirudines, frictiones, inediam, balneum, exercitationem, clyſteres, &c. Has omnes cum dignoſcat ceu vacuationis materias ſpeculatiuus intellectus, & ſolum ex vi indicantis inueniat quamprimum vacuandum eſſe: ad alterum practicum ſpectabit, ex cunctis his qualis materia eligenda, aduocat ad id commodè præſtandum rationalem itidem methodum, & hæc ſecum affert omnia opportuna, ac conferentia ad optimum, ac perfectum eliciendum iudiciũm de adæquata auxilij materie: illa autem ſunt, plethora inprimis morbi cauſſa, & huius adhuc magni, tum & ſcopi, qui requiruntur ad deliberationem materiei magni remedij, huiuſmodi autem eſt venæ ſectio, & purgatio. in deliberatione verò reliquarum materierũ, in qua non aſſiſtunt ſcopi, aduocanda ſunt, & æſtimanda cuncta coindicantia: verum in hac eligenda magni auxilij materie, ſcoporum præſentia illud ſupplent. Mens itaque explorat naturam indicantis, & ſimul ſingularum materierum auxiliorum: inuenítque plethoram hanc magnam eſſe, & morbi magni germinatricem, hinc infert indicare magnum auxilium, magnam ſcilicet vacuationem: inter illas materias vacuantis auxilij, ſolam repetit ex Galeno 2. aph. ſen. 29. venæ ſectionem, & purgationem illud ſufficere poſſe, omiſſis reliquis, de alterutra horum auxiliorum materie tantum lis ſub iudice eſt: iterum igitur conſulit indicantis, & vtriuſque materiei naturas: hinc diſcit plethoram eſſe omnium humorum augmentum, in qua præpollet ſanguis, & ſuam ideam ſeruat, cognoſcítque amplius venæ ſectionem hoc augmentum æquè vacuare, ſecus autem purgationem, cum alterum tantum ſeligat humorem, attrahat, ac foris edu-

cat. Quare mens, illam ceu materiem opportuni auxilij æſtimat, verum ſcoporum conſenſum ſpectat adhuc, vt cum ipſis deliberet ſeriò (ſunt enim præponendi hi in iudicio) ambo idem conſentiũt; morbi magnitudo, quia admittit magnum auxiliũ imò acclamat, virium robur (quod ſupponimus,) quia valet illud idem magnum auxilium ſuſtinere. Deliberat itaque conſultò mens, conſentientibus ſcopis, in ſynocha febri, prima illa cauſſa indicante vacuationem, ſeriò per venæ ſectionem præſtandam eſſe. Sed hæc lubet modò & doctiſſimi Galeni auctoritate firmare, tum libro ſecundo aphoriſm. ſentent. 8. tum & libro quarto, ſentent. 2. quibus locis inter auxilia quæ æqualiter totum corpus vacuant, ſolum inter reliqua venę ſectionem, ceu pręſtantiorem connumerat, & purgationem negligit, ſed recenſet inter remediorum materies, quæ vnum alterum humorem vacuant. Idem in iſchiadico affectu ſanando demonſtrat, lib. 10. de comp. med. ſecun. loc. capite ſecundo, dum inquit, *Si humoribus ex æquo redundarit corpus, ſanguinis miſſione primum omnium aſſumpta curabis, deinde purgatione.* Palam ex his locis conſtat venæ ſectionem tollere humorum ex æquo plenitudinem; haudquaquam purgationem, niſi per accidens, quia hæc ſegregatos à maſſa vacuat humores, ac ſæpè eiuſdem compagem deſtruit, cùm & ſeparet à reliquis familiarem humorem, & vnà cum ſeris foras educat. Præſtantior itaque vndequaque venæ ſectio, cũ per ſe ex æquo plenitudinem vacuet, tutò ſimul, ac citò. Porrò, in hac hypotheſi, ſcopum roboris viriũ adeſſe ſuprà diximus; qui neceſſariò admittendus: nam exiſtente in corpore plenitudine impoſſibile

eſt per

eſt per eſſentiam vires exolutæ appareãt, valent autem apparere per aggrauationem, quam declarat illa pulſus differentia parui cum contractione, inſuper cum aliqua interdum vehementi pulſatione, impellente natura, quamuis à ſarcina oppreſſa, ob natiuum robur. hæc autem aggrauatio venę ſectionem non prohibet, immo adhortatur. Animaduertat amabò hæc cunctaMedicus, ac diſcernat ſedulò, ne fruſtra pauore perterritus, ęgrotantem citra hoc vtiliſſimum auxilium fortunę committat ludibrio: aut temerè illius vſu perenni obliuioni tradat.

In hoc tandem conſilio ad inueniendam, ac deliberandam hanc auxilij materiem, fruſtra aduocantur reliquæ coindicationes ab ambiente conſuetudine, ætate, natura, ac ſitu partis affectæ, &c. quia hæ conſulendę potius ad quantitatem eiuſdē, vtendi modum, & occaſionem. nam adſtante morbi magnitudine, & robore virium, nihil illorum potis eſt venæ ſectionem ſimpliciter dehortari, teſtante paſſim Galeno. Ratio huius rei hæc eſt, quia cùm morbi magnitudo ſit indicans dignitate præſtans, quia vrgens, reliqua coindicantia cum dignatione minora, ne valent quidem ideam auxilij dehortari, quam illa prima ac maior indicatio indicat, dummodo aſſiſtat alter comes ſcopus virium roboris: queunt quidem quantitatem minuere, aut per aliquod temporis interuallum differre. Rurſus hoc auxilium proximè ſolam reſpicit morbi cauſſam, vnde hæc, ceu ſcopus moriēs, circa quem verſatur vnicè, contēplanda, explorandáve. Quare expoſita morbi natura, vnà cum eius cauſſa, & obſeruatis ſcopis, nihil relinquitur amplius ad ſeriam venæ ſectionis deliberationem, in quantum quale auxilium, ſeu remedij materies.

An ſanguis miſsio indicatur, an & venæ ſectio.

CAP. IV.

NOuatores quidam articuli diſcrimen aſſignant inter ſanguinis miſſionem, & venæ ſectionem, generis videlicet ad ſpeciem. quaſi ſanguinis miſſio genus ſit ad venæ ſectionem, cucurbitas cum ſcarificatu, hæmorrhoidum apertionem, ac narium, miſſionem ſanguinis per hirudines &c. genus illud indicari autumant, nequaquam venæ ſectionem, vti nec reliquas ſpecies: quia cum ſit materies auxilij, indicari nequeunt, ſed ex variis ſcopis decerni. In hac charybdi peritiſſimi viri maximum ſunt paſſi naufragium, verum prædicta methodi hydrographia contemnendum illud omnino ſuadet. Cæterum libenter admittimus miſſionem ſanguinis formaliter (vt cum logicis loquamur) quandam rationem generis habere ad illas prædictas ſpecies. verum iſtud nec à Galeno obſeruatum, nec à reliquis antiquioribus, immò nec ferè ab aliquo claſſico viro huius noſtri ſæculi, ſed ſemper pro venæ ſectione, tanquam cæteris differentiis præſtantiore vſurpatum fuiſſe illud genus experimur. ita vt promiſcuè hæc duo nomina ſumantur ad eandem rem ſignificandam. Vacua igitur in doctrina Medica hæc diſtinctio, ceu haudquaquam vſu recepta. hanc tamen ipſis condonemus, ſi lubet. verum ſi rem attentè conſideremus, nec ſanguinis miſſio, quà-uis genus, ſeu auxilij qualitas, nec venæ ſectio, vt ſpecies, & materies auxilij, à quopiam affectu præter naturam indicatur. Vtrumque nobis facilè erit demonſtrare, ſi naturam, & eſſentiam indicationis exploremus. Galenus hanc exponit libro 9. meth. ca. 12.

dum

dum dicit, *Nam quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam.* idem & lib. 11. meth. cap. 13. Atque id vnum quod indicat, ſi ſimplex, ipſum quoque ſimplex erit: ſin illud compoſitum, hoc quoque erit compoſitum. Hoc idem confirmat Auctor ad Thraſyb. cap. 21. cum, *idem diuerſorum nequeat eſſe indicatiuum*, affirmet. Vnus itaque affectus erit indicans pro natura ſua miſſionem ſanguinis, à quo vnico tantum indicabitur ipſa ſemper, nequeunte ab alio amplius indicari. Hæc nequaquam conueniunt miſſioni ſanguinis, cum nullus ſit vnicus affectus à quo ipſa pro natura ſua sẽper indicetur, ita vt nec ab aliis poſſit indicari. Quid quod, ſi indicaretur à plurimis, potiꝰ indicaretur, cũ multis affectibꝰ, ac diuerſis sãguinis miſſio cõueniat, ſiue morbis ſpecie diſtinctis, ſiue eorum cauſſis, multitudini, ac fluxioni, &c. quod reluctatur naturæ indicati. vnde, cum obſeruẽt Medici affectus plurimos, quibus vſui eſt ſanguinis miſſio, hinc inter ipſos variæ exortæ ſunt opiniones; cum quidam à plenitudine indicari autumant, alij rurſus à magnitudine morbi, & omnes quidem perperam, vt diffuſè ſuo loco expendemus. Rurſus, cum vnum vni ſit cõtrarium, valens ſuum contrarium deſtruere, ſi ſanguinis miſſo indicatur, ceu vnũ indicatũ, cõtrariũ erit vni indicati aptè natũ illũ deſtruere: & per cõſequẽs nequit hoc vnũ indicãs diuerſorũ eſſe indicatiuũ, nec deſtrui, niſi ab vno illo indicato cõtrario. quod falſum eſt. nã plenitudo, veluti & morbi magnitudo, ſub ratione illa cauſſæ, ob quã proximè deliberatur de venæ ſectione, tollitur à plurimis contrariis, vt

millies explicat Galenus, non ſanguinis miſſione tantùm in genere, verùm inedia, frictione, exercitatione, purgatione, clyſteribus, &c. quæ ex præcipuo indicante, tum ſcopis deliberantur potiùs. Quòd ſi dicat primò indicari ab vno illo affectu miſſionem ſanguinis, vt genus auxilij, ſeu qualitas eſt, mox deliberari auxilij materies venæ ſectio, inedia, balneum, exercitatio, frictio, &c. adſtantibus ſimul ſcopis: hoc quidem admitteremus, ſi hæ materies auxilij, tanquam ſpecies; ſeu differentiæ continerentur ſub illo genere miſſionis ſanguinis. (debet enim neceſſariò materies deliberata auxilij, differentia eſſe eiuſdem indicati auxilij) ſed illa nequaquam intra carceres continentur miſſionis ſanguinis. Quis enim vſquam affirmauit inediam, frictionem, exercitationẽ, clyſteres, purgationem ſpecies eſſe miſſionis ſanguinis? Quare ſanguinis miſſio, nec indicatur, nec reperitur affectus vnicus ſimplex pro natura ſua ipſam indicans. Si igitur ſanguinis miſſio, quæ quidem naturam quandam habet communem ad varias ſpecies ſanguinem dimanantes è corpore, nequit indicari, ergo multò minus peculiaris aliqua ex his differentia: cùm certum ſit, quãlibet ex his, materiem potiùs eſſe auxilij deliberationi ſubiectam: veluti & vniuerſum illud: tãquam materies auxilij æſtimandũ, quia proximè reſpicit cauſſam, nectar videlicet illud viuificũ, in quo cõſiſtit vita: proindéq. requiritur maxima conſultatio ad illius profuſionem, nec quicquã valens eſt hanc indicare ſimpliciter; & per ſe, immo ſola methodus deliberare. Denique ſi venæ ſectio ab aliquo affectu indicaretur, citra diſcrimen, imò ſtatim deliberaretur, cùm cognito affectu, quamprimum innoteſceret to-

ret tota ratio ſecandi venas in tali affectu, quod verum non eſt: cùm ſemper exoptet conſultationem.
Quod ſi obiiciant Galenum aliquando affirmare, à morbi magnitudine miſſionem ſanguinis indicari; illud indicari καταχρηστικῶς accipere, certum eſt, cum ipſe ad mittendum ſanguinem præter indicãtia, conſulendos ſimul eſſe ſcopos ſtatuat, cum quibus de auxilio illo deliberamus ſeriò: quare neglecta exquiſita, & accurata nimis dicendi idea, per notiora, & quę verborum ſeriem redderent faciliora progredi perſæpè ſtudet: præſertim cum iam rē ſuo loco exactè ipſe definierit.

An ſcopi plures ad miſsionem ſanguinis præter illos tres ab Hippocrate & Galeno conſcriptos.

CAP. V.

CLariſſimus Galenus lib. 4. met. cap. 6. & alibi etiam duos tantum ad miſſionem ſanguinis aſſignat ſcopos, morbi magnitudinem, & robur virium; quos itidem ad purgationem communes conſtituit. Diuinus verò Hippocrates lib. 4. de rat. vict. ſen. 19. tum Galenus in comment. & alibi, his accedit tertium, ætas videlicet florens: hic tamen ſeriò ad robur virium, etiam ab ipſo Galeno reducitur, cum æſtimetur illa ætas florens, inter reliquas ætates multò robuſtior, ad deliberandum de miſſione ſanguinis: nihilominus ſi adſit hoc robur in reliquis ætatibus, vt perbellè ſcripſit Celſus li. 2. c. 10. eiſdem, iſtud auxilium denegandum non erit. quare hic tertius accuratè negligitur, prioribus tantum adſtantibus. Cæterum hi ſcopi, ſiuę tres, ſiue tantum duo, non ſunt propriè ſcopi in ſuo ſignificatu, ſed æquiuocè, cùm præpoſita potius, vt

Digitized by Google

aptè inquit Galenus com. præſertim 1. in lib. Hipp. de humor. ſen. 12. aduocata ad finis conſequutionem. vocantur enim in conſilium, vt aſſentiantur deliberationi mentis, circa magnũ auxilium, venæ ſectioné, aut purgationẽ: & proinde quia præponũtur mẽti ad finis conſequutioné, vocãtur ſcopi, qui propriè finis eſt in intẽtione. Pręter illos ſcopos adſunt & alij propriè ſcopi in medẽdi methodo, fines in intẽtione, ex ſingulis indicantibus eliciti: quibus reſpondẽt & alij ſcopi, exorti à facultatibus deliberatæ materiei auxiliorum. Sed rem hanc venuſtã, & fortè incultam adhuc, exemplo illuſtremus.

Ponamus, ex hypotheſi, morbũ magnum in quo adſit multitudo, ac fluxio, ambo eiuſdẽ morbi efficiẽtes cauſſæ: quibus, cũ quãprimũ ſit occurrẽdum, quia tũ multitudine, tũ motu ſeu fluxione fiũt morbi parẽtes: duplex inde ſtatim ſe offert indicatio, altera à multitudine, & altera à motu; illa indicat vacuationem, hęc verò cõpeſcationẽ. hinc exoritur in intẽtione artificis duplex itidẽ ſcopus, ad agendum monẽs, vt actu fiat, quod potẽtia erat, vacuãdi videlicet, & cõpeſcẽdi, reſpectantes duplicẽ illã indicationẽ: mox cõſulitur auxiliorũ materies, & eorum facultates & vſus explorantur; hincq; eliciũtur auxiliorũ alij ſcopi. quare cũ per methodũ rationalem inuẽtũ ſit indicatũ, & per mẽtis deliberationẽ, aſſiſtẽtib. ſcopis, deliberata ſit auxilij materies, proponendi denuò sũt ſcopi, quorũ ratione mouemur ad cauſſę ablationẽ, & explorãdũ rurſ9 an ſcopi materiei auxilij, ſeu ei9 facultates ſatisfaciãt ſcopis in intẽtione ab indicationib. deprõptis. Quare ſubſtituamus nũc, ad hunc morbũ tollẽdũ cõuenire venę ſectionẽ. Sit itaq; morb9 magn9 indicãs magnũ auxilium,

lium, rurſus ex hypotheſi, præpoſita adſint idem cõſentientia: relinquitur deliberandum de venæ ſectione, aut purgatione. iudicium decernit adæquatum auxilium, dum præſertim æſtimat cauſſæ efficientis naturam, quam proximè reſpectat vtrũque illud auxilium. naturam igitur cauſſæ ſupponamus modò eſſe humores in quibus ſanguis adhuc ſuam ſeruet ideam: hanc cauſſam adæquatè, ac per ſe tollit ſanguinis miſſio. quare hæc materies auxilij deliberanda, haudquaquam purgatio, quæ per ſe humores ſegregatos, ac omnino naturæ inutiles contemplatur. Deliberato iam hoc auxilio, iterum replicandæ ſunt indicationes, quæ nos in particulari mouent ad huius deliberationem & vſum; hæ autem ſunt humores illi, in quibus ſanguis ſuã ſeruat ſpeciem multos eſſe, ac rurſus concitatos ac fluentes, quos & vacuationem, & compeſcationem indicare certum eſt, ſcopi ſanè huius medendi methodi. requirit autem hæc methodus, quod illud deliberatum auxilium, eiſdem ſcopis ex indicationibus ortis, ſatisfaciat & aliis ſcopis, ſeu facultatibus vtrumque illud pollentibus. Cúmque deliberatum auxilium, venæ ſectio ſit, quæ triplici vſu ac facultate præſtat, vacuandi, reuellendi, ac deriuandi, ſpecies hæc quidem reuulſionis: affabrè ſuis peculiaribus ſcopis, ac facultatibus, ſatisfaciet & illis ſcopis à cauſſæ morbi indicationibus elicitis; cum valeat perbellè, quód multum eſt vacuare, & quod fluit compeſcere, ac reuellere. Quamobrem ex his palam fit ad venæ ſectionis deliberationem, vt magnum auxilium eſt, requiri ſcopos illos Hippocratis tres: verum ad medendi methodum, & ad vſum eiuſdem auxilij, qua tales ſeu iuxta varias au-

xilij facultates, requiri itidem & alios particulares ſcopos, elicitos ex priuatis cauſſæ morbi indicationibus. nullatenus autem hinc infertur venæ ſectionem indicari ab his ſcopis, cum longè diſtet ratio formalis ſcopi, à ratione formali indicationis, cum hæc petatur à parte rei, ille verò ſit finis in intentione, mouens animum ad alterius finis conſequutionem, ſiue ille finis in intentione ſit indicatum, ſiue facultas materiei auxilij; verum indicatum illud nequit eſſe venæ ſectio, aut ſanguinis miſſio, cum hæc, vt ſuprà diximus, nequeant indicari, ſed tantum vniuerſum illud vacuatio videlicet, aut cōpeſcatio, vnde neque ſcopi proprij ſanguinis miſſionis: cum idem quod indicatum, ſit ſcopus, quatenus eſt in intentione. Deliberato itaque cum ſit ſanguinis miſſio per rationalem methodum, conſuluntur rurſus quamprimum ſcopi illi ex indicationibus orti, mox & alij eliciti ex materie auxilij, videlicet ex eâdem miſſione ſanguinis, & conueniendo in vnum quod ſint adæquati ſcopi, in ſua contrarietate exurgit, ac apprimè cōfirmatur optima materiei auxilij deliberatio, venæ ſectionem, ſcilicet, vacuare exactè ſanguinem multum, tum & reuellere fluentem.

Trutinatur exinde Nouatoris cuiuſdam error, Augenij deceptus doctrina (ne fallaciis dicam) qui perperam exiſtimauit miſſionis ſanguinis præter illos tres Hippocratis ſcopos, purgationi ſimul communes, reperiri & alios magis proprios, ſanguinis videlicet copiam, & eiuſdē fluxionem: vti & purgationis alios; alterius cuiuſque ſucci à ſanguine abundantiam, & eiuſdem fluxionem. Nam ſi hoc

eſſet verum, aut eſſent ſcopi eliciti ex indicationibus, aut ex materie auxiliorum exorti, quia proprij. Neutrum verum. ergo ſcopi proprij non ſunt, quod non ſint ſcopi eliciti ex indicationibus conſtat, quia remediorum materies non indicatur, multóque minus indicat: ergo non ſcopus. Scopus námque reapſe indicatum illud eſt, ex quo decernimus de facultate materiei auxilij; vt compeſcatio eſt indicatum, ab indicante fluxione indicatum, & eadem compeſcatio, quatenus in intentione, eſt ſcopus, ex quo decernimus de venæ ſectionis, aut alterius auxilij facultate reuulſiua, ſeu compeſcente. tamen ſcopus iſte non eſt proprius venæ ſectionis, ſed potius methodi medendi, in qua deliberamus, conſulente ſcopo de conuenienti materie remedij. Porrò ſi eſſent proprij ſcopi, ipſis adſtantibus cogeremur deliberare de venæ ſectione ex vi indicationis, vnde eliciuntur, quod non eſt admittendum. nam adſtante ſanguinis copia, tum fluxione poſſumus deliberare de varia materie tollente ſanguinis copiam, & eiuſdem compeſcente fluxum, vt de inedia, frictione, exercitatione, balneo, clyſteribus, cathartico, ligaturis incraſſantibus &c. vt paſſim teſtatur Galenus, tum commentario primo in librũ de humoribus Hippocratis, ſententia duodecima, tum libris methodi. quid quod, & illis ſcopis abſentibus fas & aſſiduè venam ſecare, vt in caſu ab alto, & in cacochymo fluxu aliquando, vt permultis locis demõſtrat Galenus, præſertim libro octauo methodi, cap. 4. quod ius non eſt abſentibus illis tribus Hippocratis ſcopis, etſi communibus.

Ponamus, ex hypotheſi, ſynochum putridam nobis ſe offerre ſanandam. Morbus iſte non magnus ſolum, verum & acutus, & in eo ſeptem illi occurrunt affectus cunctis putridis febribus communes, quos eodem 11. meth. cap. 13. recenſet Galenus, & itidem lib. de inæquali intemp. cap. 1. 2. & 6. & comm. 1. in lib. de Med. offic. ſen. 1. & ſui ablationem indicare per contraria refert: quia morbus, ceu & reliqua omnia præter naturam cum immoderatæ res ſint, ſanitas verò Medicinæ finis cum in moderatione potius conſiſtat, ad hanc per oppoſiti actionem tãtum peruenire ius eſt. ex Galeno enim, tum in arte Medica, tũ 8. meth. c. 89. immoderatũ ab immoderato cõtrario redigitur ad mediocritatẽ. Septem igitur illi affectus indicantia ſunt, indicata verò contraria valentia illa immoderata, & præter naturam exoluere. Ex his affectibus, ſi analyticè procedamus, plethora nobis quamprimum obuiam fiet ſananda, ceu reliquorum affectuũ cauſſa efficiens in ordine cauſſarum prima, obſtructionem videlicet germinans, & hæc mediante prohibita tranſpiratione putredinem, proximam febris cauſſam. reliquis nunc omiſſis, iam priorem illam cauſſam exploremus oportet. Plethora itaque, docente Galeno lib. de ſect. capite 3. inanitionem, ſeu vacuationem indicat: quia teſtante diuino dictatore tum lib. 2. Aph. ſen. 22. tum lib. de flat. repletio inanitione, veluti inanitio repletione, tanquam inuicem oppoſita curantur. Inuenit igitur plethora, ceu indicans, ſibi adęquatam auxilij ideam. hæc autem generica cum ſit, plures ſub ſe continet auxiliorum differentias, quas appoſitè materias auxiliorum cum Galeno appellamus, venæ ſectionem,

pur-

gationem, vtraſque cucurbitulas, hirudines, frictiones, inediam, balneum, exercitationem, clyſteres, &c. Has omnes cum dignoſcat ceu vacuationis materias ſpeculatiuus intellectus, & ſolum ex vi indicantis inueniat quamprimum vacuandum eſſe: ad alterum practicum ſpectabit, ex cunctis his qualis materia eligenda, aduocat ad id commodè præſtandum rationalem itidem methodum, & hæc ſecum affert omnia opportuna, ac conferentia ad optimum, ac perfectum eliciendum iudicium de adęquata auxilij materie: illa autem ſunt, plethora inprimis morbi cauſſa, & huius adhuc magni, tum & ſcopi, qui requiruntur ad deliberationem materiei magni remedij, huiuſmodi autem eſt venæ ſectio, & purgatio. in deliberatione verò reliquarum materierũ, in qua non aſſiſtunt ſcopi, aduocanda ſunt, & æſtimanda cuncta coindicantia: verum in hac eligenda magni auxilij materie, ſcoporum præſentia illud ſupplent. Mens itaque explorat naturam indicantis, & ſimul ſingularum materierum auxiliorum: inueníque plethoram hanc magnam eſſe, & morbi magni germinatricem, hinc infert indicare magnum auxilium, magnam ſcilicet vacuationem: inter illas materias vacuantis auxilij, ſolam repetit ex Galeno 2. aph. ſen. 29. venæ ſectionem, & purgationem illud ſufficere poſſe, omiſſis reliquis, de alterutra horum auxiliorum materie tantum lis ſub iudice eſt: iterum igitur conſulit indicantis, & vtriuſque materiei naturas: hinc diſcit plethoram eſſe omnium humorum augmentum, in qua præpollet ſanguis, & ſuam ideam ſeruat, cognoſcítque amplius venæ ſectionem hoc augmentum æquè vacuare, ſecus autem purgationem, cum alterum tantum ſeligat humorem, attrahat, ac foris edu-

cat. Quare mens, illam ceu materiem opportuni auxilij æſtimat, verum ſcoporum conſenſum ſpectat adhuc, vt cum ipſis deliberet ſeriò (ſunt enim præponendi hi in iudicio) ambo idem conſentiũt; morbi magnitudo, quia admittit magnum auxiliũ imò acclamat, virium robur (quod ſupponimus,) quia valet illud idem magnum auxilium ſuſtinere. Deliberat itaque conſultò mens, conſentientibus ſcopis, in ſynocha febri, prima illa cauſſa indicante vacuationem, ſeriò per venæ ſectionem præſtandam eſſe. Sed hæc lubet modò & doctiſſimi Galeni auctoritate firmare, tum libro ſecundo aphoriſm. ſentent. 8. tum & libro quarto, ſentent. 2. quibus locis inter auxilia quæ æqualiter totum corpus vacuant, ſolum inter reliqua venę ſectionem, ceu pręſtantiorem connumerat, & purgationem negligit, ſed recenſet inter remediorum materies, quæ vnum alterum humorem vacuant. Idem in iſchiadico affectu ſanando demonſtrat, lib. 10. de comp. med. ſecun. loc. capite ſecundo, dum inquit, *Si humoribus ex æquo redundarit corpus, ſanguinis miſsione primum omnium aſſumpta curabis, deinde purgatione.* Palam ex his locis conſtat venæ ſectionem tollere humorum ex æquo plenitudinem; haudquaquam purgationem, niſi per accidens, quia hæc ſegregatos à maſſa vacuat humores, ac ſæpè eiuſdem compagem deſtruit, cum & ſeparet à reliquis familiarem humorem, & vna cum ſeris foras educat. Præſtantior itaque vndequaque venæ ſectio, cũ per ſe ex æquo plenitudinem vacuet, tutò ſimul, ac citò. Porrò, in hac hypotheſi, ſcopum roboris viriũ adeſſe ſuprà diximus; qui neceſſariò admittendus. nam exiſtente in corpore plenitudine impoſſibile

eſt per

eſt per eſſentiam vires exolutæ appareát, valent autem apparere per aggrauationem, quam declarat illa pulſus differentia parui cum contractione, inſuper cum aliqua interdum vehementi pulſatione, impellente natura, quamuis à ſarcina oppreſſa, ob natiuum robur. hæc autem aggrauatio venę ſectionem non prohibet, immo adhortatur. Animaduertat amabò hæc cunctaMedicus, ac diſcernat ſedulò, ne fruſtra pauore perterritus, ęgrotantem citra hoc vtiliſſimum auxilium fortunę committat ludibrio: aut temerè illius vſu perenni obliuioni tradat.

In hoc tandem conſilio ad inueniendam, ac deliberandam hanc auxilij materiem, fruſtra aduocantur reliquæ coindicationes ab ambiente conſuetudine, ætate, natura, ac ſitu partis affectæ, &c. quia hæ conſulendę potius ad quantitatem eiuſdē, vtendi modum, & occaſionem. nam adſtante morbi magnitudine, & robore virium, nihil illorum potis eſt venæ ſectionem ſimpliciter dehortari, teſtante paſſim Galeno. Ratio huius rei hæc eſt, quia cùm morbi magnitudo ſit indicans dignitate præſtans, quia vrgens, reliqua coindicantia cum dignatione minora, ne valent quidem ideam auxilij dehortari, quam illa prima ac maior indicatio indicat, dummodo aſſiſtat alter comes ſcopus virium roboris: queunt quidem quantitatem minuere, aut per aliquod temporis interuallum differre. Rurſus hoc auxilium proximè ſolam reſpicit morbi cauſſam, vnde hæc, ceu ſcopus moriēs, circa quem verſatur vnicè, contēplanda, explorandáve. Quare expoſita morbi natura, vnà cum eius cauſſa, & obſeruatis ſcopis, nihil relinquitur amplius ad ſeriam venæ ſectionis deliberationem, in quantum quale auxilium, ſeu remedij materies.

An ſanguis miſſio indicatur, an & venæ ſectio.

Cap. IV.

NOuatores quidam acriculi diſcrimen aſſignant inter ſanguinis miſſionem, & venæ ſectionem, generis videlicet ad ſpeciem. quaſi ſanguinis miſſio genus ſit ad venæ ſectionem, cucurbitas cum ſcarificatu, hæmorrhoidum apertionem, ac narium, miſſionem ſanguinis per hirudines &c. genus illud indicari autumant, nequaquam venæ ſectionem, vti nec reliquas ſpecies: quia cum ſit materies auxilij, indicari nequeunt, ſed exvariis ſcopis decerni. In hac charybdi peritiſſimi viri maximum ſunt paſſi naufragium, verum prædicta methodi hydrographia contemnendum illud omnino ſuadet. Cæterum libenter admittimus miſſionem ſanguinis formaliter (vt cum logicis loquamur) quandam rationem generis habere ad illas prædictas ſpecies. verum iſtud nec à Galeno obſeruatum, nec à reliquis antiquioribus, immò nec ferè ab aliquo claſſico viro huius noſtri ſæculi, ſed ſemper pro venæ ſectione, tanquam cæteris differentiis præſtantiore vſurpatum fuiſſe illud genus experimur. ita vt promiſcuè hæc duo nomina ſumantur ad eandem rem ſignificandam. Vacua igitur in doctrina Medica hæc diſtinctio, ceu haudquaquam vſu recepta. hanc tamen ipſis condonemus, ſi lubet. verum ſi rem attentè conſideremus, nec ſanguinis miſſio, quauis genus, ſeu auxilij qualitas, nec venæ ſectio, vt ſpecies, & materies auxilij, à quopiam affectu præter naturam indicatur. Vtrumque nobis facilè erit demonſtrare, ſi naturam, & eſſentiam indicationis exploremus. Galenus hanc exponit libro 9. meth. ca. 11.

dum dicit, *Nam quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam.* idem & lib. 11. meth. cap. 13. Atque id vnum quod indicat, ſi ſimplex, ipſum quoque ſimplex erit: ſin illud compoſitum, hoc quoque erit compoſitum. Hoc idem confirmat Auctor ad Thraſyb. cap. 21. cum, *idem diuerſorum nequeat eſſe indicatiuum*, affirmet. Vnus itaque affectus erit indicans pro natura ſua miſſionem ſanguinis, à quo vnico tantum indicabitur ipſa ſemper, nequeunte ab alio amplius indicari. Hæc nequaquam conueniunt miſſioni ſanguinis, cum nullus ſit vnicus affectus à quo ipſa pro natura ſua ſẽper indicetur, ita vt nec ab aliis poſſit indicari. Quid quod, ſi indicaretur à plurimis, poti⁹ indicaretur, cũ multis affectib⁹, ac diuerſis ſãguinis miſſio cõueniat, ſiue morbis ſpecie diſtinctis, ſiue eorum cauſſis, multitudini, ac fluxioni, &c. quod reluctatur naturæ indicati. vnde, cum obſeruẽt Medici affectus plurimos, quibus vſui eſt ſanguinis miſſio, hinc inter ipſos variæ exortæ ſunt opiniones; cum quidam à plenitudine indicari autumant, alij rurſus à magnitudine morbi, & omnes quidem perperam, vt diffusè ſuo loco expendemus. Rurſus, cum vnum vni ſit cõtrarium, valens ſuum contrarium deſtruere, ſi ſanguinis miſſo indicatur, ceu vnũ indicatũ, cõtrariũ erit vni indicati aptè natũ illũ deſtruere: & per cõſequẽs nequit hoc vnũ indicãs diuerſorũ eſſe indicatiuũ, nec deſtrui, niſi ab vno illo indicato cõtrario. quod falſum eſt. nã plenitudo, veluti & morbi magnitudo, ſub ratione illa cauſſæ, ob quã proximè deliberatur de venæ ſectione, tollitur à plurimis contrariis, vt

millies explicat Galenus, non ſanguinis miſſione tantùm in genere, verùm inedia, frictione, exercitatione, purgatione, clyſteribus, &c. quæ ex præcipuo indicante, tum ſcopis deliberantur potiùs. Quòd ſi dicat primò indicari ab vno illo affectu miſſionem ſanguinis, vt genus auxilij, ſeu qualitas eſt, mox deliberari auxilij materies venæ ſectio, inedia, balneum, exercitatio, frictio, &c. adſtantibus ſimul ſcopis: hoc quidem admitteremus, ſi hæ materies auxilij, tanquam ſpecies, ſeu differentiæ continerentur ſub illo genere miſſionis ſanguinis. (debet enim neceſſariò materies deliberata auxilij, differentia eſſe eiuſdem indicati auxilij) ſed illa nequaquam intra carceres continentur miſſionis ſanguinis. Quis enim vſquam affirmauit inediam, frictionem, exercitationē, clyſteres, purgationem ſpecies eſſe miſſionis ſanguinis? Quare ſanguinis miſſiô, nec indicatur, nec reperitur affectus vnicus ſimplex pro natura ſua ipſam indicans. Si igitur ſanguinis miſſio, quæ quidem naturam quandam habet communem ad varias ſpecies ſanguinem dimanantes è corpore, nequit indicari, ergo multò minus peculiaris aliqua ex his differentia: cùm certum ſit, quâlibet ex his, materiem potiùs eſſe auxilij deliberationi ſubiectam: veluti & vniuerſum illud; tāquam materies auxilij æſtimandū, quia proximè reſpicit cauſſam, nectar videlicet illud viuificū, in quo cōſiſtit vita: proindéq. requiritur maxima conſultatio ad illius profuſionem, nec quicquā valens eſt hanc indicare ſimpliciter, & per ſe, immo ſola methodus deliberare. Denique ſi venæ ſectio ab aliquo affectu indicaretur, citra diſcrimen, imò ſtatim deliberaretur, cum cognito affectu, quamprimum innoteſceret to-

ret tota ratio ſecandi venas in tali affectu, quod verum non eſt: cum ſemper exoptet conſultationem. Quod ſi obiiciant Galenum aliquando affirmare, à morbi magnitudine miſſionem ſanguinis indicari; illud indicari καταχρηστικῶς accipere, certum eſt, cum ipſe ad mittendum ſanguinem præter indicãtia, conſulendos ſimul eſſe ſcopos ſtatuat, cum quibus de auxilio illo deliberamus ſeriò: quare neglecta exquiſita, & accurata nimis dicendi idea, per notiora, & quę verborum ſeriem redderent faciliora progredi perſæpè ſtudet: præſertim cum iam rē ſuo loco exactè ipſe definierit.

An ſcopi plures ad miſſionem ſanguinis præter illos tres ab Hippocrate & Galeno conſcriptos.

CAP. V.

CLariſſimus Galenus lib. 4. met. cap. 6. & alibi etiam duos tantum ad miſſionem ſanguinis aſſignat ſcopos, morbi magnitudinem, & robur virium; quos itidem ad purgationem communes conſtituit. Diuinus verò Hippocrates lib. 4. de rat. vict. ſen. 19. tum Galenus in comment. & alibi, his accedit tertium, ætas videlicet florens: hic tamen ſeriò ad robur virium, etiam ab ipſo Galeno reducitur, cum æſtimetur illa ætas florens, inter reliquas ætates multò robuſtior, ad deliberandum de miſſione ſanguinis: nihilominus ſi adſit hoc robur in reliquis ætatibus, vt perbellè ſcripſit Celſus lib. 2. c. 10. eiſdem, iſtud auxilium denegandum non erit: quare hic tertius accuratè negligitur, prioribus tantum adſtantibus. Cæterum hi ſcopi, ſiue tres, ſiue tantum duo, non ſunt propriè ſcopi in ſuo ſignificatu, ſed æquiuocè, cùm præpoſita potius, vt

aptè inquit Galenus com. præſertim 1. in lib. Hipp. de humor. ſen. 12. aduocata ad finis conſequutionem. vocantur enim in conſilium, vt aſſentiantur deliberationi mentis, circa magnũ auxilium, venæ ſectioné, aut purgationé: & proinde quia præponũtur mẽti ad finis conſequutioné, vocãtur ſcopi, qui propriè finis eſt in intẽtione. Preter illos ſcopos adſunt & alij propriè ſcopi in medẽdi methodo, fines in intẽtione, ex ſingulis indicantibus eliciti: quibus reſpondẽt & alij ſcopi, exorti à facultatibus deliberatæ materiei auxiliorum. Sed rem hanc venuſtã, & fortè incultam adhuc, exemplo illuſtremus.

Ponamus, ex hypotheſi, morbũ magnum in quo adſit multitudo, ac fluxio, ambo eiuſdẽ morbi efficiẽtes cauſſæ: quibus, cũ quãprimũ ſit occurrẽdum, quia tũ multitudine, tũ motu ſeu fluxione fiũt morbi parẽtes: duplex inde ſtatim ſe offert indicatio, altera à multitudine, & altera à motu; illa indicat vacuationem, hęc verò cõpeſcationẽ. hinc exoritur in intẽtione artificis duplex itidẽ ſcopus, ad agendum monẽs, vt actu fiat, quod potẽtia erat, vacuãdi videlicet, & cõpeſcẽdi, reſpectantes duplicẽ illã indicationẽ: mox cõſulitur auxiliorũ materies, & eorum facultates & vſus explorantur; hincq; eliciũtur auxiliorũ alij ſcopi. quare cũ per methodũ rationalem inuẽtũ ſit indicatũ, & per mẽtis deliberationẽ, aſſiſtẽtib. ſcopis, deliberata ſit auxilij materies, proponendi deinde ſũt ſcopi, quorũ ratione mouemur ad cauſſę ablationẽ, & explorãdũ rurs⁹ an ſcopi materiei auxilij, ſeu ei⁹ facultates ſatisfacãt ſcopis in intẽtione ab indicationib. deprõptis. Quare ſubſtituamus nũc, ad hunc morbũ tollẽdũ cõuenire venę ſectionẽ. Sit itaq; morb⁹ magn⁹ indicãs magnũ auxilium,

lium, rurſus ex hypotheſi, præpoſita adſint idem cõſentientia: relinquitur deliberandum de venæ ſectione, aut purgatione. iudicium decernit adæquatum auxilium, dum præſertim æſtimat cauſſæ efficientis naturam, quam proximè reſpectat vtrũque illud auxilium. naturam igitur cauſſæ ſupponamus modò eſſe humores in quibus ſanguis adhuc ſuam ſeruet ideam: hanc cauſſam adæquatè, ac per ſe tollit ſanguinis miſſio. quare hæc materies auxilij deliberanda, haudquaquam purgatio, quæ per ſe humores ſegregatos, ac omnino naturæ inutiles contemplatur. Deliberato iam hoc auxilio, iterum replicandæ ſunt indicationes, quæ nos in particulari mouent ad huius deliberationem & vſum; hæ autem ſunt humores illi, in quibus ſanguis ſuã ſeruat ſpeciem multos eſſe, ac rurſus concitatos ac fluentes, quos & vacuationem, & compeſcationem indicare certum eſt, ſcopi ſanè huius medendi methodi. requirit autem hæc methodus, quod illud deliberatum auxilium, eiſdem ſcopis ex indicationibus ortis, ſatisfaciat & aliis ſcopis, ſeu facultatibus vtrumque illud pollentibus. Cúmque deliberatum auxilium, venæ ſectio ſit, quæ triplici vſu ac facultate præſtat, vacuandi, reuellendi, ac deriuandi, ſpecies hæc quidem reuulſionis: affabrè ſuis peculiaribus ſcopis, ac facultatibus, ſatisfaciet & illis ſcopis à cauſſæ morbi indicationibus elicitis; cum valeat perbeilè, quod multum eſt vacuare, & quod fluit compeſcere, ac reuellere. Quamobrem ex his palam fit ad venæ ſectionis deliberationem, vt magnum auxilium eſt, requiri ſcopos illos Hippocratis tres: verum ad medendi methodum, & ad vſum eiuſdem auxilij, qua tales ſeu iuxta varias au-

xilij facultates, requiri itidem & alios particulares ſcopos, elicitos ex priuatis cauſſæ morbi indicationibus. nullatenus autem hinc infertur venæ ſectionem indicari ab his ſcopis, cum longè diſtet ratio formalis ſcopi, à ratione formali indicationis, cum hæc petatur à parte rei, ille verò ſit finis in intentione, mouens animum ad alterius finis conſequutionem, ſiue ille finis in intentione ſit indicatum, ſiue facultas materiei auxilij; verum indicatum illud nequit eſſe venæ ſectio, aut ſanguinis miſſio, cum hæc, vt ſuprà diximus, nequeant indicari, ſed tantum vniuerſum illud vacuatio videlicet, aut cõpeſcatio, vnde neque ſcopi proprij ſanguinis miſſionis: cum idem quod indicatum, ſit ſcopus, quatenus eſt in intentione. Deliberato itaque cum ſit ſanguinis miſſio per rationalem methodum, conſuluntur rurſus quamprimum ſcopi illi ex indicationibus orti, mox & alij eliciti ex materie auxilij, videlicet ex eâdem miſſione ſanguinis, & conueniendo in vnum quod ſint adæquati ſcopi, in ſua contrarietate exurgit, ac apprimè cõfirmatur optima materiei auxilij deliberatio, venæ ſectionem, ſcilicet, vacuare exactè ſanguinem multum, tum & reuellere fluentem.

Trutinatur exinde Nouatoris cuiuſdam error, Augenij deceptus doctrina (ne fallaciis dicam) qui perperam exiſtimauit miſſionis ſanguinis præter illos tres Hippocratis ſcopos, purgationi ſimul communes, reperiri & alios magis proprios, ſanguinis videlicet copiam, & eiuſdẽ fluxionem: vti & purgationis alios; alterius cuiuſque ſucci à ſanguine abundantiam, & eiuſdem fluxionem. Nam ſi hoc

eſſet verum, aut eſſent ſcopi eliciti ex indicationibus, aut ex materie auxiliorum exorti, quia proprij. Neutrum verum. ergo ſcopi proprij non ſunt, quod non ſint ſcopi eliciti ex indicationibus conſtat, quia remediorum materies non indicatur, multóque minus indicat: ergo non ſcopus. Scopus námque reapſe indicatum illud eſt, ex quo decernimus de facultate materiei auxilij; vt compeſcatio eſt indicatum, ab indicante fluxione indicatum, & eadem compeſcatio, quatenus in intentione, eſt ſcopus, ex quo decernimus de venæ ſectionis, aut alterius auxilij facultate reuulſiua, ſeu compeſcente. tamen ſcopus iſte non eſt proprius venæ ſectionis, ſed potius methodi medendi, in qua deliberamus, conſulente ſcopo de conuenienti materie remedij. Porrò ſi eſſent proprij ſcopi, ipſis adſtantibus cogeremur deliberare de venæ ſectione ex vi indicationis, vnde eliciuntur, quod non eſt admittendum. nam adſtante ſanguinis copia, tum fluxione poſſumus deliberare de varia materie tollente ſanguinis copiam, & eiuſdem compeſcente fluxum, vt de inedia, frictione, exercitatione, balneo, clyſteribus, cathartico, ligaturis incraſſantibus &c. vt paſſim teſtatur Galenus, tum commentario primo in librũ de humoribus Hippocratis, ſententia duodecima, tum libris methodi. quid quod, & illis ſcopis abſentibus fas & aſſiduè venam ſecare, vt in caſu ab alto, & in cacochymo fluxu aliquando, vt permultis locis demõſtrat Galenus, præſertim libro octauo methodi, cap. 4. quod ius non eſt abſentibus illis tribus Hippocratis ſcopis, etſi communibus.

Rurſus quod non ſint ſcopi ipſi ex materię auxiliorum exorti, luce meridiana patet, nequit enim res aliqua ſui ipſius eſſe ſcopum. cum res ipſa ad quam dirigitur ſcopus, ſit medium ad conſequendum intentionis finem, qui ſcopus eſt, nequit autem medium & finis, iuxta eãdem rationem vnum quid eſſe.

Tandem ſi ambo ſcopi eſſent proprij venæ ſectionis, ambo ſimul deberent concurrere ad eius deliberationem, veluti & alij tres ab Hippocrate aſſignati (cum ius non ſit abſente morbi magnitudine, aut robore virium venas tundere.) Sed hoc ne Nouator quidem auderet affirmare, cum liceat adſtante copia ſanguinis citra fluxum ſcindere venas, veluti adſtante fluxu citra copiam idem præſtare.

Quare nullatenus hi ſcopi ſunt miſſionis ſanguinis proprij, aut venæ ſectionis, nec plures augendos eſſe præter illos ab Hippoc. & Galeno aſſignatos arbitramur. Et proindè Galenus accuratè com. illo doctiſſimo 1. in libr. Hippoc. de humoribus, ſen. 12. vt hanc rem demonſtraret, ſic eloquitur. *Tria igitur ſunt quæ agnitionem continent, morbi magnitudo, eáque aut præſens, aut imminens, ætas, & robur virium: hæcque tria propoſita, ſeu ſcopi ad ſanguinis miſſionẽ ſuadendam eſſe poſſunt.* &c. Si igitur tria illa ſufficiunt, perperam Nouator alios aſſignat ſcopos, præter illos, ad ſuadendam miſſionem ſanguinis. bene quidem ad vſum, & exercitationem methodi, iuxta hanc materiem auxilij deliberatam, requiruntur obſeruandi & alij ſcopi exorti ab indicationibus, tum ex conſideratione facultatum futuræ materiei auxilij. Verum iſtud deliberatio

potius

potius methodi eſt, cum tot æſtimentur, & in conſilium ducantur. hoc enim cunctis materiebus auxiliorum commune eſt, non indicari, ſed deliberari potiùs methodo ex indicantibus & ſcopis variis, quibus perficitur etiam materiei remediorum inuentio, vſus autem congruus, ex aliis, quos obſeruat methodus ſcopis, eiuſdem methodi propriis, & cunctis auxiliis communibus.

De multitudinis, ac plenitudinis notione, definitione ac differentiis.

CAP. VI.

NEc leuis difficultas, nec parui momenti ad ſubſequentem diſputationem, quid multitudo, quid plenitudo, quótque harum ſint differentiæ, exponere. iſtud enim cardo totius quæſtionis, ſupra quem perperam aduerſariorum omnis firmatur opinio. ne igitur ob lubricitatem difficultatis è noſtris facilè elaberentur manibus, eandem expungere prius lubet. Et vt à ſuis primordiis rem deriuemus, illud quamprimum declarandum arbitramur, quot modis ſe habeant in noſtro corpore humores. Hi itaque aut ſecundum naturam exiſtunt in corpore, quando virtute & copia inter ſe mediocriter habent, optiméque inſuper ſunt commiſti, túncque ſanum ſe præbet corpus, vt libr. de hom. nat. ſen. 19. Dictator ſummus teſtatur; aut rurſus præter naturam ſunt, quando videlicet horum aliquis minor plus iuſto exiſtit, aut copioſior amplius in corpore redundarit, aut in corpore fuerit ſeparatus, nec reliquis contemperatus: & tunc

itidem dolet corpus, & malè afficitur, eodem libro dictante Hippocrate, ſenten. vigeſima. Ex his dictatoris verbis, ſi attentè perpendantur, tria eſſe humorum vitia, culpatam ſanitatem efficientia experiemur: vitium quamprimum in eorum qualitate, (quod eſt illud, *nec reliquis contemperatus*, hic enim, ex Galeno in commentario reuocatur ad intemperiem) mox in quantitate, & tandem in miſtione. Omnia hæc vitia ſub multitudinis notione continentur, quia cum præter naturam in corpore valeant redundare, humores ſub triplici illa differentia expoſiti, per hanc redundantiam dicuntur in quantitate aucta offendere, & multi eſſe. Et cum ex hoc vitio in quantitate aucta queant humores aut abſolutè & ſimpliciter, aut reſpectiuè vitium aliquod contrahere, hinc duplex conſurgit plenitudinis differentia ad vaſa, & ad vires, quarum genus ſummum eſt multitudo Græcis πλῆθος dicta. Vtraque rurſus differentia iterum diuiditur in alteram, in qua omnes æquè humores augentur, aut ſolus ſanguis ex Gal. li. 2. de comp. ſecundùm loc. ca. 3. & lib. de plenit. cap. 10. & 11. quæ ſimpliciter plenitudo dicitur, Græcis πληθώρα, & in alteram in qua omnes humores ita augentur, quod vnus, vel alter tantum proportionem excedat, & hæc dicitur potius plenitudo ſecundum quid, ſeu cum adiectione, alterius videlicet redundantis humoris: quæ mox plenitudo ſi humores in ſe permiſtos habuerit, biliosa, melancholica, pituitoſa; vel etiam ſanguinis dicetur, ex Galeno lib. de plenit. ca. 11. ſi verò auctus humor, fuerit ſequeſtratus, plenitudo hæc adiunctam habens cacochymiam dicetur. & cùm humores contineantur ſub tetrade, ſimiliter huius plenitudinis

nis differentiæ eundem ſeruant numerum, etiam idem annuente Galeno, eodem citato libro, ca.10.& 11. Prętereà humores in qualitate dupliciter vitium contrahunt, aut vniuerſa ſanguinis mole corrupta, aut vitiata tantùm alterius cuiuſque humoris in mole temperie, vt quando bilis ſe ipſa calidior fit, aut pituita frigidior, vel per putredinem acris. Denominatur autem vniuerſa ſanguinis moles à prædominante qualitate vitioſa, ſiue ipſa cum corruptione aut putredine fuerit, ſiue citra hanc, per aliquam alterationem: hinc dicitur maſſa ſanguinis calida, vel frigida, &c. Accedit tandem & aliud vitium in miſtione, quando ſcilicet humores, qui antea erant in vnum compacti, ac inter ſe permiſti, ſeorſum mox ſeparati innatant. Hoc vitium propriè κακοχυμία appellatur, vt innuere præſertim videtur Galenus lib. de plenitud. ca. 11. quod non in ſequeſtratione, verum in augmento, extra proportionem cuiuſq. humoris Petrus de Peramato falsò reponit li. de plenit. & cacochym. ca.1. Iuxta ſegregati autem humoris naturā quadruplex eſt: quamuis ſanguinis nō admittatur, ſed ſeri tantū eiuſdem, vnà cū Galeno lib. præſertim 13. Meth. ca.6. quo loco itidem vnà cū Hippocrate, citato ſuprà lib. cacochymiā vitium eſſe in miſtione demonſtrat, etſi nominis ethymon tantùm ſucci vitium declaret. Verum enimverò ſi vitiū tantùm eſſet ſucci in qualitate, hæc tertia ſpecies à ſecunda nō diſtingueretur: cū autē diſtinguatur, etiam ab vtriſque Medicinæ proceribus, reuerà non ſolum includet vitium in qualitate, verùm & ſeparationem, ob quam quidem rationem fit diſtincta ſpecies: & huic vitio ſola debetur per ſe purgatio, reliquis autem ſanguinis miſſio, aut

purgatio, aut vtrumque ſimul ſuo ſeruato ordine, vt abundè oſtendemus infrà.

Explanatis his cunctis humorum vitiis, cùm in hoc opuſculo nobis ſit mens plurima explorare de multitudine, ac plenitudine, quatenus ad miſſionem ſanguinis quendam ordinem dicunt, declarandum operæpretium eſt, an hæc duo nomina re ipſe idem ſint, an potius in ſe inuicem diſtinguantur. Si rem diligenter rimemur non leue inueniemus diſcrimen, cum multitudo, ceu generis latius multò pateat, cum referatur ad vtramque quantitatem continuam, & diſcretam, contineat plethon, pleſmonem, pleonexiam, ac ipſam plethoram, tum & cacochymiam, ſub ratione quanti, ex Gal. lib. 13. meth. ca. 6. & 12. de comp. ſecundum loc. ca. 1. plenitudo verò menſuratam quantitatem propriè ſignificat: quæ multa dicitur, tanquam altera multitudinis ſpecies, & non quòd omne multum ſit plenum. Multitudo enim exceſſum dicit, & relatiuè opponitur pauco, vt docet Ariſtot. lib. 10. Metaphyſ. cap. 9. & cum ipſo Galenus noſter lib. 11. methodi, ca. 12. & 13. vnde in quantitate diſcreta tres, vel quatuor multum ſunt, & opponuntur vni, nihilominus tamen tres, vel quatuor, reſpectu decimi paucum dicentur, quia cum hæc multitudo relatiuè opponatur, maxima potitur latitudine. plenitudo haud quaquam, quia tantum ad continens corpus refertur, cuius reſpectu propriè plenitudo dicitur, & eius oppoſitum vacuitas. Tandem nominis diſtinctio in vtraque lingua etiam rei diſcrimen innuit, cum aliud Latinis multitudo, Græcis πλῆθος, aliud Latinis plenitudo, Græcis πληθώρα dicatur. Quare cuiuſuis humoris exceſſus, ſeu redundantia, & quo-

uis

uis modo fiat; accuratè appellatur multitudo, nequaquam propriè plenitudo, ſed illa quæ vaſa replet, ac aliquando diſtẽdit. Fatendum tamen à plurimis, etiam & ab ipſomet Galeno hæc duo nomina confundi aliquando, & promiſcuè pro eadem re ſignificanda deſumi. veluti & quæ plenitudo ſecũdũ quid dicitur, ſeu ad vires impropriè plenitudo appellatur; cũ propriè plenitudo, vt Galenus inſinuat lib. 2. de comp. ſecundum loc. c. 3. ſit auctio quatuor humorum ex æquo, vel ſolius ſanguinis, citra aliorum humorum augmentum, vt Valleſius aduerſus Fuchſium accuratè obſeruauit lib. 7. controuerſ. & redarguit Petrus de Peramato lib. de plenit. & cacoch. cap. 1. Quo itidem loco palàm Galenus diſcrimen imponit inter multitudinem, & plenitudinem, poſtquam etenim plenitudinem (vt iam diximus) definierit, ſtatim ſubiungit, *Nam cum alius quiſpiam humor redundarit, velut eſt pituita, & flaua bilis, itémque nigra, eiuſmodi auctionem ſiue redundantiam, non plenitudinem, neque ſimpliciter multitudinem, ſed cum appoſitione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ in corpore factam multitudinem dicunt &c.* Hoc loco Galenus cùm diuidendo dixerit non plenitudinem, neque ſimpliciter multitudinem, hócque etiam ex omnium Medicorum conſenſu, diſcrimen hauddubiè aſſignat inter multitudinem, & plenitudinem: neque auctionem ſingularis cuiuſque humoris plenitudinem vocat, ſed cum adiectione multitudinem: vſus eſt enim nomine πλῆθος. Multitudo etenim, quidquid in quantitate, aliqua ratione excedit, amplectitur, etiam (vt diximus) & cacochymiam, ſub ratione redundantiæ, & quãti-

quæ ſi ita increuerit, vt vaſa diſtendat, non ſolum multitudo, verum & plenitudo (etſi καταχρηστικῶς) vocabitur, iuxta illud Galeni lib. de plenit. ca. 10. *Sed & venarum tenſio, non ſecus ac iſtud cuiuſcunque differentiæ plenitudinis commune eſt. quippe quæ & ipſa plenitudinis quantitatem potius, quàm particulares ſequitur ſpecificáſque differentias: tam igitur tumor quàm tenſionis ſenſus nihilo magis cuiuſpiam humoris, quam flatus præ ſe fert multitudinem. Quare ſi quis ſic proferat, Neceſſe nimirum eſt, vt vbi tenſionis ſenſus eſt, ſit etiam plenitudo: is à vero non aberrabit &c.* Quare ſi humor iſte cacochymus fortè ita increuerit, vt ſua multitudine repleat, ac tendat vaſa, meritò & ſub plenitudinis differentiis tunc continebitur, cum ſit & flatuum plenitudo ex Galeno καταχρηστικῶς.

De oneris, ac ſarcinæ ſignificationibus apud Galenum.

CAP. VII.

ONeroſa quidē ipſa oneris diſputatio, eò præſertim, quod ſtatim initio difficilis euripus occurrat, quid videlicet onus, quantitáſne, an qualitas, cum ad vtramque categoriam valeat illud referri? verum per ſe, fortè ad qualitatem: diximus fortè, quia etiam difficile, ſub qua ſpecie contineatur: ſed hæc modò Logicis relinquamus. Per accidens itidem ſub ratione magnitudinis, & ad quantitatem tunc proculdubiò refertur. Rurſus, cum onus dicatur graue, difficile in noſtra hypotheſi, cui graue, ſenſuíne, an facultati naturali: diximus ſenſui, an facultati, non quod hæc patiantur, ſed ſubiectum, ſeu materies & organum, in quo exiſtunt: etſi ſenſio

ſenſio ſpectet ad facultatem ſentientem. Nos hæc more noſtro per ſyllogen libabimus, & clariora reddemus quantum fas erit.

Galenus clariſſimus lib. 11. meth.ca.15. videtur aſſignare inſignes vſus miſſionis ſanguinis in put. febribus, non ſolum per multitudinis vacuationem, verum & per oneris ablationem: cum poſtquam conſuluerit, miſſionem ſanguinis in omni febre putrida, eius auxilij vſum declarans dicat, *Leuata namque quæ corpus noſtrum regit natura, exoneratáque, eo quo velut ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet &c.* Quare finis ob quem deliberamus de miſſione ſanguinis, aſſignatur à Galeno, leuamē naturę à multitudine, & ſarcina, ſeu onere, quo ipſa premitur: & hic Medico ſcopus, mouēs, procedente methodo, ad deliberationē illius auxilij.

Verum vt manifeſtior reddatur doctrina Galeni, quid onus & ſarcina ſit, & an concurrant cum multitudine, prius modò exponendum cenſemus. Si rem exactè ęſtimemus, cum omnia hęc ſub quātitatis genere contineantur, etiam ſub aliqua generica ratione in vnum concurrent. hoc ſignificauit Galenus citatis verbis: cum enim traderet curationem per venæ ſectionem febrium, putridarum, etiam ſynocharum, in quibus plenitudo earum cauſſa efficiens eſt, huius auxilij vnicum tantum aſſignat vſum, ſeu ſcopum, leuare naturam à ſarcina. quare ſarcina erit tum plenitudo, tum & quodlibet aliud onus humoris naturam grauans. Diſtinguuntur nihilominus hæc per quaſdam rationes formales, multitudo enim dicitur quidquid dicit exceſſum: & opponitur pauco, in quantitate diſcreta, quidquid vnum excedit, ex Auerrhoë, &

D. Thoma comm. 2. in lib. 10. Metaphy. & vni op-
ponitur. Plenitudo verò reſpectum dicit ad rem
continentem, ex Gal. lib. de plenit. cap. 8. & priuati-
uè vacuo opponitur. Onus autem, & ſarcina, ſyno-
nyma cum ſint, dicuntur de quantitate, ſenſum gra-
uitatis inducere, & ſi mauis, tenſionis. vnde conſide-
rantur hæc duo, grauitas & tenſio, vt ſigna quidem
excedentis quantitatis, idque cum ſenſu aliquo ma-
nifeſto, vel obſcuro, ex Galeno lib. 4. de tuenda va-
let. ca. 2. & lib. 3. de different. pulſu. ca 3. Hæc igitur
nomina quantitatem declarant humoris, haudquà-
quam per ſe qualitatem; vt eleganti itidem analo-
gia illuſtrauit Galenus lib. de plenit. cap. 8, illorum
videl. duorum hominum ferentium alter magnum
lapidē, alter verò quaſdā pauciſſimas ſpinas: quorū
ille onus ferre dicetur quidem, quod hauddubiè re-
ferendū ad quantitatē & multitudinem, hic autem
nequaquam ob paucitatem, ſed illud referendum
eſt ad rei potius qualitatem, citra onus. quamuis &
vtrumque concurrere ſæpe contingat: vt ſi magnū
pondus, ſeu onus ſpinarum quis baiularet: veluti ſi
quiſpiam multitudinem humoris, vnà cum caco-
chymia in vaſis contineret. hoc inſinuauit perbellè
auctor ad Thraſyb. ca. 31. dum dicat, *quæ in corpore
ſunt grauantia, materiei copia grauare: mediocris e-
nim materies, neque grauat, neque vllo pacto diuexat.*
quare grauantia neceſſariò exceſſum quātitatis ad-
nexum habent, cùm qualitas ſola nequeat eſſe o-
nus. vnde Ariſt. lib. 5. Metaphyſ. cap. 13. pondus, ſeu
leuitas, & grauitas (qualitates cum ſint per ſe for-
ſan ſub tertia ſpecie contentæ) quantitatis affectio-
nes appellat: quia modum quantitatis habet, à quo
ſubſtantiæ dicuntur æquales, vel inæquales, graues,
vel

Digitized by Google

vel leues, verum quamuis abſolutè dicantur hæ affectiones quantitatis: tamē per diuerſos reſpectus, cum quod vni graue eſt, alteri potius leue, non ſemper omnia grauia oneri, & ſarcinæ per ſe ſunt, ſed virium tantum reſpectu. hoc idem & altera analogia inſigniuit Galenus, nec minus ſanè eleganti, etiam eodem libro de plenit. cap. 2. dum eloquitur, *Non poſſe puſillum infantem onus aliquod ferre, quod iuuenis boni habitus vel facillimè geſtabit: leuiſſimum quippe id erit adoleſcenti, quod infanti futurum grauiſſimum.* Verum cum hæc relatio ſit ſecundum dici, abſolutè graue erit, quidquid præter naturā ſingularem à ſua quantitate exceſſerit, & quanto magis exceſſerit vaſa augens, ac diſtendens, tanto magis abſolutè erit graue & onus, quidquid autem infra hanc metam ſingularis naturæ, citra multitudinis videlicet exceſſum extiterit graue & onus, facultatis ac virium reſpectu potius dicendum: aut quia vires imbecilles, aut quia onus illud qualitatem habet adiunctam, qua fit ſingulari illi naturæ graue.

In priori illa oneris differentia, neceſſariò requiritur manifeſtus ſenſus rei moleſtæ, ſeu illius ſarcinæ, vltra modum vaſa diſtendentis: in hac altera verò ſubobſcurus, ac in profundo corporis latens, his præſertim qui vegetiori ſunt præditi ſenſu, teſtante Galeno tum lib. de plenit. cap. 4. 5. 11. tum de curandi rat. per venæ ſect. cap. 6. quia in hac potius grauantur naturales facultates, quibus grauatis in conſenſum ducitur ſenſus, quaſi ſecundariò: vnde ſubobſcurus oneris ſenſus. In altera primò afficitur ſenſus ipſe, concitatus à ſanguine, ſola quantitate peccante, citra vllam eius affectionem ac præ-

aptè inquit Galenus com. præſertim 1. in lib. Hipp. de humor. ſen. 12. aduocata ad finis conſequutionem. vocantur enim in conſilium, vt aſſentiantur deliberationi mentis, circa magnũ auxilium, venæ ſectioné, aut purgationé: & proinde quia præponũtur méti ad finis conſequutioné, vocãtur ſcopi, qui propriè finis eſt in intẽtione. Preter illos ſcopos adſunt & alij propriè ſcopi in medẽdi methodo, fines in intẽtione, ex ſingulis indicantibus eliciti: quibus reſpondẽt & alij ſcopi, exorti à facultatibus deliberatæ materiei auxiliorum. Sed rem hanc venuſtã, & fortè incultam adhuc, exemplo illuſtremus.

Ponamus, ex hypotheſi, morbũ magnum in quo adſit multitudo, ac fluxio, ambo eiuſdẽ morbi efficiẽtes cauſſæ: quibus, cũ quãprimũ ſit occurrẽdum, quia tũ multitudine, tũ motu ſeu fluxione fiũt morbi parẽtes: duplex inde ſtatim ſe offert indicatio, altera à multitudine, & altera à motu; illa indicat vacuationem, hęc verò cõpeſcationẽ. hinc exoritur in intẽtione artificis duplex itidẽ ſcopus, ad agendum mouẽs, vt actu fiat, quod potẽtia erat, vacuãdi videlicet, & cõpeſcẽdi, reſpectantes duplicẽ illã indicationẽ: mox cõſulitur auxiliorũ materies, & eorum facultates & vſus explorantur; hincq; eliciũtur auxiliorũ alij ſcopi. quare cũ per methodũ rationalem inuẽtũ ſit indicatũ, & per mẽtis deliberationẽ, aſſiſtẽtib. ſcopis, deliberata ſit auxilij materies, proponendi denuò sũt ſcopi, quorũ ratione mouemur ad cauſſę ablationẽ, & explorãdũ rurſ⁹ an ſcopi materiei auxilij, ſeu ei⁹ facultates ſatisfacãt ſcopis in intẽtione ab indicationib. depróptis. Quare ſubſtituamus nũc, ad hunc morbũ tollẽdũ cõuenire venę ſectionẽ. Sit itaq; morb⁹ magn⁹ indicãs magnũ auxilium,

lium, rurſus ex hypotheſi, prępoſita adſint idem cõſentientia: relinquitur deliberandum de venæ ſectione, aut purgatione. iudicium decernit adæquatum auxilium, dum præſertim æſtimat cauſſæ efficientis naturam, quam proximè reſpectat vtrũque illud auxilium. naturam igitur cauſſæ ſupponamus modò eſſe humores in quibus ſanguis adhuc ſuam ſeruet ideam: hanc cauſſam adæquatè, ac per ſe tollit ſanguinis miſſio. quare hæc materies auxilij deliberanda, haudquaquam purgatio, quæ per ſe humores ſegregatos, ac omnino naturæ inutiles contemplatur. Deliberato iam hoc auxilio, iterum replicandæ ſunt indicationes, quæ nos in particulari mouent ad huius deliberationem & vſum; hæ autem ſunt humores illi, in quibus ſanguis ſuã ſeruat ſpeciem multos eſſe, ac rurſus concitatos ac fluentes, quos & vacuationem, & compeſcationem indicare certum eſt, ſcopi ſanè huius medendi methodi. requirit autem hæc methodus, quod illud deliberatum auxilium, eiſdem ſcopis ex indicationibus ortis, ſatisfaciat & aliis ſcopis, ſeu facultatibus vtrumque illud pollentibus. Cúmque deliberatum auxilium, venæ ſectio ſit, quæ triplici vſu ac facultate præſtat, vacuandi, reuellendi, ac deriuandi, ſpecies hæc quidem reuulſionis: affabrè ſuis peculiaribus ſcopis, ac facultatibus, ſatisfaciet & illis ſcopis à cauſſæ morbi indicationibus elicitis; cum valeat perbellè, quod multum eſt vacuare, & quod fluit compeſcere, ac reuellere. Quamobrem ex his palam fit ad venæ ſectionis deliberationem, vt magnum auxilium eſt, requiri ſcopos illos Hippocratis tres: verum ad medendi methodum, & ad vſum eiuſdem auxilij, qua tales ſeu iuxta varias au-

xilij facultates, requiri itidem & alios particulares ſcopos, elicitos ex priuatis cauſſæ morbi indicationibus. nullatenus autem hinc infertur venæ ſectionem indicari ab his ſcopis, cum longè diſtet ratio formalis ſcopi, à ratione formali indicationis, cum hæc petatur à parte rei, ille verò ſit finis in intentione, mouens animum ad alterius finis conſequutionem, ſiue ille finis in intentione ſit indicatum, ſiue facultas materiei auxilij; verum indicatum illud nequit eſſe venæ ſectio, aut ſanguinis miſſio, cum hæc, vt ſuprà diximus, nequeant indicari, ſed tantum vniuerſum illud vacuatio videlicet, aut cõpeſcatio, vnde neque ſcopi proprij ſanguinis miſſionis: cum idem quod indicatum, ſit ſcopus, quatenus eſt in intentione. Deliberato itaque cum ſit ſanguinis miſſio per rationalem methodum, conſuluntur rurſus quamprimum ſcopi illi ex indicationibus orti, mox & alij eliciti ex materie auxilij, videlicet ex eâdem miſſione ſanguinis, & conueniendo in vnum quod ſint adæquati ſcopi, in ſua contrarietate exurgit, ac apprimè cõfirmatur optima materiei auxilij deliberatio, venæ ſectionem, ſcilicet, vacuare exactè ſanguinem multum, tum & reuellere fluentem.

Trutinatur exinde Nouatoris cuiuſdam error, Augenij deceptus doctrina (ne fallaciis dicam) qui perperam exiſtimauit miſſionis ſanguinis præter illos tres Hippocratis ſcopos, purgationi ſimul communes, reperiri & alios magis proprios, ſanguinis videlicet copiam, & eiuſdẽ fluxionem: vti & purgationis alios, alterius cuiuſque ſucci à ſanguine abundantiam, & eiuſdem fluxionem. Nam ſi hoc

eſſet

eſſet verum, aut eſſent ſcopi eliciti ex indicationibus, aut ex materie auxiliorum exorti, quia proprij. Neutrum verum. ergo ſcopi proprij non ſunt, quod non ſint ſcopi eliciti ex indicationibus conſtat, quia remediorum materies non indicatur, multóque minus indicat: ergo non ſcopus. Scopus námque reapſe indicatum illud eſt, ex quo decernimus de facultate materiei auxilij; vt compeſcatio eſt indicatum, ab indicante fluxione indicatum, & eadem compeſcatio, quatenus in intentione, eſt ſcopus, ex quo decernimus de venæ ſectionis, aut alterius auxilij facultate reuulſiua, ſeu compeſcente. tamen ſcopus iſte non eſt proprius venæ ſectionis, ſed potius methodi medendi, in qua deliberamus, conſulente ſcopo de conuenienti materie remedij. Porrò ſi eſſent proprij ſcopi, ipſis adſtantibus cogeremur deliberare de venæ ſectione ex vi indicationis, vnde eliciuntur, quod non eſt admittendum. nam adſtante ſanguinis copia, tum fluxione poſſumus deliberare de varia materie tollente ſanguinis copiam, & eiuſdem compeſcente fluxum, vt de inedia, frictione, exercitatione, balneo, clyſteribus, cathartico, ligaturis incraſſantibus &c. vt paſſim teſtatur Galenus, tum commentario primo in librũ de humoribus Hippocratis, ſententia duodecima, tum libris methodi. quid quod, & illis ſcopis abſentibus fas & aſſiduè venam ſecare, vt in caſu ab alto, & in cacochymo fluxu aliquando, vt permultis locis demõſtrat Galenus, præſertim libro octauo methodi, cap. 4. quod ius non eſt abſentibus illis tribus Hippocratis ſcopis, etſi communibus.

Rurſus quod non ſint ſcopi ipſi ex materię auxiliorum exorti, luce meridiana patet, nequit enim res aliqua ſui ipſius eſſe ſcopum. cum res ipſa ad quam dirigitur ſcopus, ſit medium ad conſequendum intentionis finem, qui ſcopus eſt, nequit autem medium & finis, iuxta eădem rationem vnum quid eſſe.

Tandem ſi ambo ſcopi eſſent proprij venæ ſectionis, ambo ſimul deberent concurrere ad eius deliberationem, veluti & alij tres ab Hippocrate aſſignati (cum ius non ſit abſente morbi magnitudine, aut robore virium venas tundere.) Sed hoc ne Nouator quidem auderet affirmare, cum liceat adſtante copia ſanguinis citra fluxum ſcindere venas, veluti adſtante fluxu citra copiam idem præſtare.

Quare nullatenus hi ſcopi ſunt miſſionis ſanguinis proprij, aut venæ ſectionis, nec plures augendos eſſe præter illos ab Hippoc. & Galeno aſſignatos arbitramur. Et proindè Galenus accuratè com. illo doctiſſimo 1. in libr. Hippoc. de humoribus, ſen. 12. vt hanc rem demonſtraret, ſic eloquitur. *Tria igitur ſunt quæ agnitionem continent, morbi magnitudo, eăque aut præſens, aut imminens, ætas, & robur virium: hæcque tria propoſita, ſeu ſcopi ad ſanguinis miſſionē ſuadendam eſſe poſſunt.* &c. Si igitur tria illa ſufficiunt, perperam Nouator alios aſſignat ſcopos, præter illos, ad ſuadendam miſſionem ſanguinis. bene quidem ad vſum, & exercitationem methodi, iuxta hanc materiem auxilij deliberatam, requiruntur obſeruandi & alij ſcopi exorti ab indicationibus, tum ex conſideratione facultatum futuræ materiei auxilij. Verum iſtud deliberatio

potius

potius methodi eſt, cum tot æſtimentur, & in conſilium ducantur. hoc enim cunctis materiebus auxiliorum commune eſt, non indicari, ſed deliberari potiùs methodo ex indicantibus & ſcopis variis, quibus perficitur etiam materiei remediorum inuentio, vſus autem congruus, ex aliis, quos obſeruat methodus ſcopis, eiuſdem methodi propriis, & cunctis auxiliis communibus.

De multitudinis, ac plenitudinis notione, definitione ac differentiis.

CAP. VI.

NEc leuis difficultas, nec parui momenti ad ſubſequentem diſputationem, quid multitudo, quid plenitudo, quótque harum ſint differentiæ, exponere. iſtud enim cardo totius quæſtionis, ſupra quem perperam aduerſariorum omnis firmatur opinio. ne igitur ob lubricitatem difficultatis è noſtris facilè elaberentur manibus, eandem expungere prius lubet. Et vt à ſuis primordiis rem deriuemus, illud quamprimum declarandum arbitramur, quot modis ſe habeant in noſtro corpore humores. Hi itaque aut ſecundum naturam exiſtunt in corpore, quando virtute & copia inter ſe mediocriter habent, optiméque inſuper ſunt commiſti; túncque ſanum ſe præbet corpus, vt libr. de hom. nat. ſen. 19. Dictator ſummus teſtatur; aut rurſus præter naturam ſunt, quando videlicet horum aliquis minor plus iuſto exiſtit, aut copioſior amplius in corpore redundarit, aut in corpore fuerit ſeparatus, nec reliquis contemperatus: & tunc

nis differentiæ eundem ſeruant numerum, etiam idem annuente Galeno, eodem citato libro, ca. 10. & 11. Preterea humores in qualitate dupliciter vitium contrahunt, aut vniuerſa ſanguinis mole corrupta, aut vitiata tantùm alterius cuiuſque humoris in mole temperie, vt quando bilis ſe ipſa calidior fit, aut pituita frigidior, vel per putredinem aeris. Denominatur autem vniuerſa ſanguinis moles à prædominante qualitate vitioſa, ſiue ipſa cum corruptione aut putredine fuerit, ſiue citra hanc, per aliquam alterationem: hinc dicitur maſſa ſanguinis calida, vel frigida, &c. Accedit tandem & aliud vitium in miſtione, quando ſcilicet humores, qui antea erant in vnum compacti, ac inter ſe permiſti, ſeorſum mox ſeparati innatant. Hoc vitium propriè κακοχυμία appellatur, vt innuere præſertim videtur Galenus lib. de plenitud. ca. 11. quod non in ſequeſtratione, verum in augmento, extra proportionem cuiuſq. humoris Petrus de Peramato falsò reponit li. de plenit. & cacochym. ca. 1. Iuxta ſegregati autem humoris naturã quadruplex eſt: quamuis ſanguinis nõ admittatur, ſed ſeri tantũ eiuſdem, vnà cũ Galeno lib. præſertim 13. Meth. ca. 6. quo loco itidem vnà cũ Hippocrate, citato ſuprà lib. cacochymiã vitium eſſe in miſtione demonſtrat, etſi nominis ethymon tantùm ſucci vitium declaret. Verum enimverò ſi vitiũ tantùm eſſet ſucci in qualitate, hæc tertia ſpecies à ſecunda nõ diſtingueretur: cũ autẽ diſtinguatur, etiam ab vtriſque Medicinæ proceribus, reuerà non ſolum includet vitium in qualitate, verùm & ſeparationem, ob quam quidem rationem fit diſtincta ſpecies: & huic vitio ſola debetur per ſe purgatio, reliquis autem ſanguinis miſſio, aut

purgatio, aut vtrumque ſimul ſuo ſeruato ordine, vt abundè oſtendemus infrà.

Explanatis his cunctis humorum vitiis, cùm in hoc opuſculo nobis ſit mens plurima explorare de multitudine, ac plenitudine, quatenus ad miſſionem ſanguinis quendam ordinem dicunt, declarandum operæpretium eſt, an hęc duo nomina re ipſe idem ſint, an potius in ſe inuicem diſtinguantur. Si rem diligenter rimemur non leue inueniemus diſcrimen, cum multitudo, ceu genus latius multò pateat, cum referatur ad vtramque quantitatem continuam, & diſcretam, contineat plethon, pleſmonem, pleonexiam, ac ipſam plethoram, tum & cacochymiam, ſub ratione quanti, ex Gal. lib. 13. meth. ca. 6. & 2. de comp. ſecundum loc. ca. 1. plenitudo verò menſuratam quantitatem propriè ſignificat: quæ multa dicitur, tanquam altera multitudinis ſpecies, & non quòd omne multum ſit plenum. Multitudo enim exceſſum dicit, & relatiuè opponitur pauco, vt docet Ariſtot. lib. 10. Metaphyſ. cap. 9. & cum ipſo Galenus noſter lib. 11. methodi; ca. 12. & 13. vnde in quantitate diſcreta tres, vel quatuor multum ſunt, & opponuntur vni, nihilominus tamen tres, vel quatuor, reſpectu decimi paucum dicentur, quia cum hæc multitudo relatiuè opponatur, maxima potitur latitudine. plenitudo haud quaquam, quia tantum ad continens corpus refertur, cuius reſpectu propriè plenitudo dicitur, & eius oppoſitum vacuitas. Tandem nominis diſtinctio in vtraque lingua etiam rei diſcrimen innuit, cum aliud Latinis multitudo, Græcis πλῆθος, aliud Latinis plenitudo, Græcis πληθώρα dicatur. Quare cuiuſuis humoris exceſſus, ſeu redundantia, & quo-

uis

uis modo fiat; accuratè appellatur multitudo, nequaquam propriè plenitudo, ſed illa quæ vaſa replet, ac aliquando diſtẽdit. Fatendum tamen à plurimis, etiam & ab ipſomet Galeno hæc duo nomina confundi aliquando, & promiſcuè pro eadem re ſignificanda deſumi. veluti & quæ plenitudo ſecũdũ quid dicitur, ſeu ad vires impropriè plenitudo appellatur; cũ propriè plenitudo, vt Galenus inſinuat lib. 2. de comp. ſecundum loc. c. 3. ſit auctio quatuor humorum ex æquo, vel ſolius ſanguinis, citra aliorum humorum augmentum, vt Valleſius aduerſus Fuchſium accuratè obſeruauit lib. 7. controuerſ. & redarguit Petrus de Peramato lib. de plenit. & cacoch. cap. 1. Quo itidem loco palàm Galenus diſcrimen imponit inter multitudinem, & plenitudinem, poſtquam etenim plenitudinem (vt iam diximus) definierit, ſtatim ſubiungit, *Nam cum alius quiſpiam humor redundarit, velut eſt pituita, & flaua bilis, itémque nigra, eiuſmodi auctionem ſiue redundantiam, non plenitudinem, neque ſimpliciter multitudinem, ſed cum appoſitione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ in corpore factam multitudinem dicunt &c.* Hoc loco Galenus cùm diuidendo dixerit non plenitudinem, neque ſimpliciter multitudinem, hócque etiam ex omnium Medicorum conſenſu, diſcrimen hauddubiè aſſignat inter multitudinem, & plenitudinem: neque auctionem ſingularis cuiuſque humoris plenitudinem vocat, ſed cum adiectione multitudinem: vſus eſt enim nomine πλῆθος. Multitudo etenim, quidquid in quantitate, aliqua ratione excedit, amplectitur, etiam (vt diximus) & cacochymiam, ſub ratione redundantiæ, & quãti-

quæ ſi ita increuerit, vt vaſa diſtendat, non ſolum multitudo, verum & plenitudo (etſi κατακρηστικῶς) vocabitur, iuxta illud Galeni lib. de plenit. ca. 10. *Sed & venarum tenſio, non ſecus ac iſtud cuiuſcunque differentia plenitudinis commune eſt. quippe quæ & ipſa plenitudinis quantitatem potius, quàm particulares ſequitur ſpecificáſque differentias: tam igitur tumor quàm tenſionis ſenſus nihilo magis cuiuſpiam humoris, quam flatus præ ſe fert multitudinem. Quare ſi quis ſic proferat, Neceſſe nimirum eſt, vt vbi tenſionis ſenſus eſt, ſit etiam plenitudo: is à vero non aberrabit &c.* Quare ſi humor iſte cacochymus fortè ita increuerit, vt ſua multitudine repleat, ac tendat vaſa, meritò & ſub plenitudinis differentiis tunc continebitur, cum ſit & flatuum plenitudo ex Galeno κατακρηστικῶς.

De oneris, ac ſarcinæ ſignificationibus apud Galenum.

CAP. VII.

ONeroſa quidē ipſa oneris diſputatio, eò præſertim, quod ſtatim initio difficilis euripus occurrat, quid videlicet onus, quantitáſne, an qualitas, cum ad vtramque categoriam valeat illud referri? verum per ſe, fortè ad qualitatem: diximus fortè, quia etiam difficile, ſub qua ſpecie contineatur: ſed hæc modò Logicis relinquamus. Per accidens itidem ſub ratione magnitudinis, & ad quantitatem tunc proculdubiò refertur. Rurſus, cùm onus dicatur graue, difficile in noſtra hypotheſi, cui graue, ſenſuíne, an facultati naturali: diximus ſenſui, an facultati, non quod hæc patiantur, ſed ſubiectum, ſeu materies & organum, in quo exiſtunt: etſi ſenſio

ſenſio ſpectet ad facultatem ſentientem. Nos hæc more noſtro per ſyllogen libabimus, & clariora reddemus quantum fas erit.

Galenus clariſſimus lib. 11. meth. ca. 15. videtur aſſignare inſignes vſus miſſionis ſanguinis in put. febribus, non ſolum per multitudinis vacuationem, verum & per oneris ablationem: cum poſtquam conſuluerit, miſſionem ſanguinis in omni febre putrida, eius auxilij vſum declarans dicat, *Leuata namque qua corpus noſtrum regit natura, exonerataque, eo quo velut ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet &c.* Quare finis ob quem deliberamus de miſſione ſanguinis, aſſignatur à Galeno, leuamẽ naturę à multitudine, & ſarcina, ſeu onere, quo ipſa premitur: & hic Medico ſcopus, mouẽs, procedente methodo, ad deliberationẽ illius auxilij.

Verum vt manifeſtior reddatur doctrina Galeni, quid onus & ſarcina ſit, & an concurrant cum multitudine, prius modò exponendum cenſemus. Si rem exactè ęſtimemus, cum omnia hęc ſub quãtitatis genere contineantur, etiam ſub aliqua generica ratione in vnum concurrent. hoc ſignificauit Galenus citatis verbis: cum enim traderet curationem per venæ ſectionem febrium, putridarum, etiam ſynocharum, in quibus plenitudo earum cauſſa efficiens eſt, huius auxilij vnicum tantum aſſignat vſum, ſeu ſcopum, leuare naturam à ſarcina. quare ſarcina erit tum plenitudo, tum & quodlibet aliud onus humoris naturam grauans. Diſtinguuntur nihilominus hæc per quaſdam rationes formales, multitudo enim dicitur quidquid dicit exceſſum: & opponitur pauco, in quantitate diſcreta, quidquid vnum excedit, ex Auerrhoë, &

D. Thoma comm. 2. in lib. 10. Metaphy. & vni op-
ponitur. Plenitudo verò reſpectum dicit ad rem
continentem, ex Gal. lib. de plenit. cap. 8. & priuati-
uè vacuo opponitur. Onus autem, & ſarcina, ſyno-
nyma cum ſint, dicuntur de quantitate, ſenſum gra-
uitatis inducere, & ſi mauis, tenſionis. vnde conſide-
rantur hæc duo, grauitas & tenſio, vt ſigna quidem
excedentis quantitatis, idque cum ſenſu aliquo ma-
nifeſto, vel obſcuro, ex Galeno lib. 4. de tuenda va-
let. ca. 2. & lib. 3. de different. pulſu. ca 3. Hæc igitur
nomina quantitatem declarant humoris, haudq; a-
quam per ſe qualitatem; vt eleganti itidem analo-
gia illuſtrauit Galenus lib. de plenit. cap. 8. illorum
videl. duorum hominum ferentium alter magnum
lapidē, alter verò quaſdā pauciſſimas ſpinas: quorū
ille onus ferre dicetur quidem, quod hauddubiè re-
ferendū ad quantitatē & multitudinem, hic autem
nequaquam ob paucitatem, ſed illud referendum
eſt ad rei potius qualitatem, citra onus. quamuis &
vtrumque concurrere ſæpe contingat: vt ſi magnū
pondus, ſeu onus ſpinarum quis baiularet: veluti ſi
quiſpiam multitudinem humoris, vnà cum caco-
chymia in vaſis contineret. hoc inſinuauit perbellè
auctor ad Thraſyb. ca. 31. dum dicat, *quæ in corpore*
ſunt grauantia, materiei copia grauare: mediocris e-
nim materies, neque grauat, neque vllo pacto diuexat.
quare grauantia neceſſariò exceſſum quātitatis ad-
nexum habent, cùm qualitas ſola nequeat eſſe o-
nus. vnde Ariſt. lib. 5. Metaphyſ. cap. 13. pondus, ſeu
leuitas, & grauitas (qualitates cum ſint per ſe for-
ſan ſub tertia ſpecie contentæ) quantitatis affectio-
nes appellat: quia modum quantitatis habet, à quo
ſubſtantiæ dicuntur æquales, vel inæquales, graues,
vel

vel leues, verum quamuis abſolutè dicantur hæ affectiones quantitatis: tamẽ per diuerſos reſpectus, cum quod vni graue eſt, alteri potius leue, non ſemper omnia grauia oneri, & ſarcinæ per ſe ſunt, ſed virium tantum reſpectu. hoc idem & altera analogia inſigniuit Galenus, nec minus ſanè eleganti, etiam eodem libro de plenit. cap. 2. dum eloquitur, *Non poſſe puſillum infantem onus aliquod ferre, quod iuuenis boni habitus vel facillimè geſtabit: leuiſſimum quippe id erit adoleſcenti, quod infanti futurum grauiſſimum.* Verum cum hæc relatio ſit ſecundum dici, abſolutè graue erit, quidquid præter naturã ſingularem à ſua quantitate exceſſerit, & quanto magis exceſſerit vaſa augens, ac diſtendens, tanto magis abſolutè erit graue & onus, quidquid autem infra hanc metam ſingularis naturæ, citra multitudinis videlicet exceſſum extiterit graue & onus, facultatis ac virium reſpectu potius dicendum: aut quia vires imbecilles, aut quia onus illud qualitatem habet adiunctam, qua fit ſingulari illi naturæ graue.

In priori illa oneris differentia, neceſſariò requiritur manifeſtus ſenſus rei moleſtæ, ſeu illius ſarcinæ, vltra modum vaſa diſtendentis: in hac altera verò ſubobſcurus, ac in profundo corporis latens, his præſertim qui vegetiori ſunt prædìti ſenſu, teſtante Galeno tum lib. de plenit. cap. 4. 5. 11. tum de curandi rat. per venæ ſect. cap. 6. quia in hac potius grauantur naturales facultates, quibus grauatis in conſenſum ducitur ſenſus, quaſi ſecundariò: vnde ſubobſcurus oneris ſenſus. In altera primò afficitur ſenſus ipſe, concitatus à ſanguine, ſolà quantitate peccante, citra vllam eius affectionem ac præ-

uitatem, quæ neceſſariò in altera differentia reperitur. nam quamuis citra corruptelam hæc valeat inchoari, ex Galeno lib. 2. Aphor. ſen. 7. cum nequeat moles illa à facultatibus naturalibus (ſuppoſitis imbecillimis) regi, ac gubernari, corruptelam ſubeat quamprimum eſt neceſſe; hoc demonſtrante Galeno perbellè lib. 1. de feb. different. cap. 6. & ita fit illa moles naturæ moleſta, & onus ipſi.

Quare onus, & ſarcina dicetur quidquid ſub quantitatis ratione naturam grauat, ac premit, ſiue cum manifeſto ſenſu, ſiue obſcuro: ſiue à plenitudine ad vaſa fiat, ſiue ad vires, ſiue à plenitudine qualibet ſimpliciter dicta, ſiue ſecundum quid, ſiue ab excedenti cacochymia, ſiue à vitioſo quopiam humore redundante, reſpectu tamen corporis continentis, aut reſpectu facultatum, ac virium. quidquid igitur altero horum modo naturam grauat, ac premit, præter naturam illi accidit, & ſegnes facit ægros, graues, pigros, ęgréque mobiles, nec valentes munia obire conſueta. quæ autem accidunt ſecundum naturam, tantum abeſt nobis fieri ponderoſa & grauia, vt agilitatem potius nobis pariāt, ac robur quidem; vt declarat inſignis Galenus, citato ſępius de plenit. libro. cap. 4.

Cęterum cuncta hæc ſeorſum, ac in ſpecie adhuc exploremus oportet. Inprimis plenitudo ad vaſa, ſarcina & onus tunc dicitur, quando ab ipſa diſtenduntur vaſa, & ſenſitiua vis potiſſimum grauatur. quando verò illa plenitudo ita ingens fuerit, vt nō ſolum vaſa diſtendat, verum & findat, ac rumpat, cum & robuſtiſſimę naturę ſit oneri, abſolutè tunc hæc dicitur ſarcina. Porrò plenitudo ad vires ſarcina vocatur, quando ex Galeno com. 3. in lib. Hipp. de

de Alimento,vires præſertim naturales grauat,cum aliquo tamen ſenſu obſcuro: verum & quælibet multitudo, etſi minima, dummodò aliqua ratione naturam grauet, ob ipſius vitalium,aut naturalium virium languorem, & imbecillitatem, etiam & ex eodem Gal.lib. de cur. rat. per venæ ſect.ca.8.& lib. 3.de cauſſis pulm. ca.1. & 4. & ſarcina appellanda. Deinceps & plenitudo adiūctam habens cocachymiam vtroque titulo condonanda,onus,iuxta illud Galeni lib.de cur.rat.per venæ ſect.cap. 6. *Si infeſta fuerit degrauans plenitudo.* nam illud *infeſta*,qualitatem denotat humoris cacochymi, *degrauans* autem *plenitudo*,comitem exceſſum, grauitate ac onere per vtramque rationem naturę obducto. Tandem ſola cacochymia tunc dicitur ſarcina, quando ſub ratione multitudinis, ſeu quantitatis alicuius exceſſu, vires imbecilles deprimit naturales, & vitales,ſegnéque corpus ad ſua obeunda munera reddit. verum hæc multitudo cacochymiæ, potis vſquam non eſt, plenitudinem mox generare; propter accuratā illam à Galeno lib.de plenit.ca.11.aſſignatam rationem;quia antequam humor ille cacochymus increſcat, vt contendat parare plenitudinem, alter neceſſariò ſuperuenturus eſt affectus, vt leucophlegmatia ſi pituita, icterus ſi bilis, quę de nouo accedendo incrementum ac generationem haud dubiè impedient plenitudinis.

Hoc vnum denique ęſtimandum cenſemus, grauitatem ex Galeno lib. de plenit. cap.11. tum ex Auctore ad Thraſyb.c.31. ſignū eſſe plenitudinis ad vaſa,& eius potiſſimū quę per facultatē ſenſitiuā ęſtimatur: quāuis, & q̄ ad vires eſt plenitudo per eādē etiam facultatem ſubobſcurè ponderetur. In omni

itaque ſarcina quantitas neceſſariò adeſt aliqua humoris, quæ aut ſola quantitate, aut qualitate ſimul praua ei adiuncta, grauare ipſam naturam robuſtam, vel imbecillem, valens eſt. hincque ſanguinis miſſio, cum vacuans ſit auxilium, & adæquatum cuilibet illi quantitatis differentiæ affabrè naturam à ſarcina leuare, à Galeno dicitur.

An onus in cunctis adſit febribus putridis.

Cap. VIII.

Febrium putridarum omnes quotquot ſunt ſpecies, vnicam habent efficientem cauſſam, humorem in putredinis lare putreſcentem. Variæ autem hæ conſtituuntur, à variis potiſſimum putreſcentis materiei differentiis; à ſanguine vnà cum aliis permiſto, haudquaquam ſincero, ac vaſa ſimul replente, ſynochus; à bile tertiana; quartana à melancholia; velut i à pituita quotidiana. Et quamuis diſtinguantur inter ſe ob diuerſam naturam putreſcentis materiei, conueniunt tamen in hoc vno, quod larem putredinis intra vaſa contineant omnes: etſi in intermittentibus putreſcat extra vaſa, priuata cuiuſque acceſſionis humoris portio. Cæterum cum hæc putreſcens materies (quæ ceu ſubiectum, calorem habet in incaluiſſe, febris efficientem cauſſam) variis artibus valeat intra vaſa contineri, iam inducendo plenitudinem ſimpliciter dictam, iam & alteram ſecundum quid: iam cum tenſionis ſenſum aut grauitatis, iam citra: iam rurſus ſegregata, iam cum aliqua multitudine permiſta: cúmque porrò omnibus his modis materies ipſa dicatur naturæ onus & ſarcina; proculdubiò

per

per alteram aliquam ex his rationem, onus aliquod in cunctis aderit putridis febribus: haudquaquam neceſſariò plenitudo. in ſynochis nãque ſola adeſt plenitudo ad vaſa: in reliquis ſiue continuis, ſiue intermittentibus altera tantùm plenitudo ad vires, veluti & ea quæ coniunctam habet cacochymiam. in exquiſitis autem, cùm ſyncerus ſit humor, neceſſariò & ſegregatus; vnde iſte ſub aliqua ratione multitudinis, ſeu quantitatis naturæ dicetur onus, nequeundo inducere aliquam plenitudinis differentiam. Huius rei etiam oculatiſſimus eſt teſtis Dictator ſummus, cùm libro quarto de rat. vict. ſen. 1. quandam deſcribat cauſati differentiam, in qua venulæ inanitæ, ac à tempore æſtiuo exſiccatæ, bilioſos quoſdam ichoras ad ſe trahebant, efficientes illius cauſati cauſſam. neque credendum plenitudinis ibi aliquam eſſe differentiam, cùm ſoli bilioſi ichoras, citra ſanguinem obſtructionis eſſent auctores, à qua ichorum multitudine, natura ſimul grauabatur, cùm ipſi eſſent oneri, ac ſarcinæ.

Quamobrem cùm in omni febrium putridarum idea, alter ex prædictis modis quantitatis exceſſus neceſſariò adſit, materies videlicet ſubiecta, ex qua febris accenditur: neceſſariò itidem in omni febri putrida, ab eadem materie, onere premetur natura, & eiuſdem oneris rurſus aderit leuationis indicatio. Quod onere prematur natura, conſtat liquidò, quia in omni febre putrida quantitas aliqua ſemper ineſt valens tum obſtructionem effœtare, tum priuatas acceſſiones efficere: quo vtroque medio neceſſariò & grauatur natura, & onere haud dubiè premitur, ſaltem in

putredinis lare, ac circum vaſa, ſeu partes vicinas, putreſcentem materiem circunſcribentes. Si igitur in omni febre putrida eſt onus, & ſarcina, leuationem indicans, & hanc conſulat Gal. lib.11. meth.c. 15. venæ ſectione, ceu ſaluberrimo auxilio exercendam eſſe, neceſſariò, citra plenitudinem aliquam, ex ipſo quocunque onere in cunctis putridis febribus venas tundere potiſſimum decernemus. Quid quod & præter Galeni grauiſſimum teſtimonium Iubet & ratione comprobare. onus omne leuationē indicat, leuationis variæ ſunt ideæ, quæ ſub conſilium cadunt: ergo conſulendæ. In hoc conſilio quamprimum aduocantur ſcopi, ergo & ab his eligenda leuationis materies. In cunctis putridis febribus neceſſariò adeſt alter magnitudinis morbi, ſupponitur roboris virium. ergò eligenda materies in cunctis febribus putridis, quæ valeat magnum leuamen inducere, cum morbus magnus magnum indicet auxilium, neque huic refragetur ſuppoſitũ virium robur. Inter huius auxilij materies in cunctis putridis febribus tutior, ac ſalubrior eſt venæ ſectio, ergo in cunctis de ipſa deliberãdum. Liquet aſſumptio, quia cum tantum exiſtat duplex materies magnæ leuationis venæ ſectio & purgatio, & huius interdicatur vſus, ceu piaculum in febrium putridarum principiis, vti ac in cunctis reliquis morbis, ob cruditatem præſertim materiei, ſolius igitur venę ſectionis opportunus erit vſus in febriũ putridarum principiis, quando ſcilicet occaſio ſe offert leuandi naturam. Quare in cunctis ſcindendæ venæ, ob indicatum leuamen.

Epi-

Epiphora de onere ac multitudine.

CAP. IX.

EX diſputatione præcedenti tria potiſſimum, quaſi auctaria, eliciuntur propoſita: alterum eſt, quod in omni febre putrida quædam ſit humorum copia, ſiue aliquis quantitatis exceſſus naturæ quidem ſub aliqua ratione inutilis: qui aut ſecundum eius animalem facultatem, aut vitalem mox, aut naturalem, ſiue coniunctim iſtud accidat, ſiue ſeorſum, eandem aggrauat naturam, illíque fit oneri, ac ſarcinæ. Alterum porrò, quod onus, ſiue ſarcina plenitudinem neceſſariò non includat: bene quidem plenitudo ſenſum manifeſtum, vel obſcurum grauitatis. hoc innuit Galenus lib. de plenit. cap. 8. cum grauitatem, & onus ſigna plenitudinis ſtatuat, ac inſeparabilia quidem, perceptibilia tamen, vel ſubobſcurè, vel manifeſtò: hoc in plenitudine ad vaſa, illud ad vires, etſi nec adeò obſcurè in his, qui exquiſitum pollent ſenſum. Cæterum ad hoc vt quidpiam ſit onus, ſenſus non requiritur neceſſariò, cum ſufficiat facultatem aliquam vitalem, vel naturalem premat, etſi minimus ſit, ac ſincerus humoris quantitatis exceſſus. Iſtud videtur inſinuare idem Gal. dum lib. de curandi rat. per venæ ſect. cap. 8. dicat, *oſtenſum eſt enim in virtutum naturalium commentariis, infirmam naturæ, partem promptè grauari. ſi vel paullò plus aceruetur aliquando in ea excrementi.* Apertius adhuc hoc idem eodem capite paullò inferius cum de cachexia diſſerens ſic fatur, *Huiuſmodi quapiam ratione rheumaticos vocatos affectus prouenire ſcito, toto*

videlicet corpore infirmo, quæ vna eſt mali habitus ſpecies: principibus verò illius partibus, paululum licet inſit ipſius ſanguinis, grauari tamen ſolitis &c. Quare grauantur naturales vires citra plenitudinem illam à minimo ſanguine; vel ab alio quocũque humore in minimo exiſtente quantitate, nullo præ ſe ferente grauitatis ſenſu.

Tandem exurgit non leue inter multitudinem, ac plenitudinem diſcrimen: quamuis ſæpe ſumantur promiſcuè. Multitudo namque de vtraque quantitate dicetur, nequaquam plenitudo. Rurſus multitudinis carceres inter ſe maximè ſunt diſtantes, cum à binario protrahantur ad numerum vſque penè infinitum, ceu potiùs in Logiſtica vltimum. Quare continet ſub ſe & plenitudinem, quatenus quantitas menſuralis ac diſcreta, & minimum humoris exceſſum, ſub eadem ratione. qui exceſſus minimus, quamuis multitudo ſit reapſe, non meretur tamen plenitudinis nomine condonari; quia hæc non quemlibet exceſſum, verum inſignem, & hunc pariter ſanguinis ideam ſeruantem, vnà cum grauitatis manifeſtò vel obſcuro ſenſu attingit: quarum altera vocatur plenitudo ad vaſa, cuius ſenſus præcipuè perceptibilis eſt, altera ad vires, & huius ſenſus præſertim grauans. Neque recipienda altera plenitudinis differentia inter has media, quam aſſignat vnà cum Præceptore Ioannes Baptiſta Syluaticus libr. controuerſiarum, contr.45. ex Galeno futiliter deſumpta, ex libr. aduerſus Iulianum, cap.6. denominans eam ex naturæ menſura: quia reapſe hæc, ab illa quæ ad vaſa dicitur diſtincta non eſt, cum in ſua contineatur latitudine, vt ex eiuſdem Galeni verbis

bis liquidò conſtat, cum dicat, *plenitudinem ad vaſa æſtimari vel naturæ menſura, vel eo ſolo quod contineri non poteſt.* Innuens apertè duplicem gradum huius plenitudinis quæ ad vaſa; nam hæc aut eſt repletis ipſis vaſis ſimpliciter, citra illorum ſaltem effatu dignam diſtenſionem, aut repletis eò vſque, quòd non ſolum ipſa vaſa diſtendant humores, verum & aliquando quaſi findant, vt continere iam amplius illam copiam non valeant. Diſtinguitur denique multitudo à plenitudine, quòd illa abſolutè ſit quantitas, hæc verò relationem potiùs connotet, cùm reſpectum dicat ad rem continentem, cuius ratione dicitur plenitudo.

Cæterum, doctiſſime Augeni, ſi amore plenitudinis ductus cunctas illas multitudinis differentias ſub plenitudine ad vires contineri contendis, dic nobis amabò, cum ad tundendas venas cuncta tibi debeant eſſe plena, qua ratione Galenus paſſim affirmat, citra plenitudinem, morbo poſtulante, neque reluctantibus viribus, ſanguinem hauriendum eſſe? Si igitur citra plenitudinem ſcinditur aliquando vena; ergo datur actu corpus, etiam cum robore virium, vt perdoctè ipſemet Galenus ſupponit, in quo nulla quidem adſit plenitudinis differentia, vel humorum inſignis aliquis exceſſus: verum ſolum mediocris aliqua portio, ſufficiens naturæ fieri grauamen ac ſarcina, vt perbellè exponit Galenus libr. 13. meth. cap. 5. quæ ſimul ſua copia ſufficientem præbet huic remedio materiem, & animum artificis excitat ad captandam leuationis vtilitatem. Ratio quidem, Hippocraticis vinclis alligata. Quare æſtimet Augenius hanc rationem, rimentur eandem Augenij manes: perpendant pari

ni cordati viri auctoritate, mox & quibuſdam confirmant ratiunculis. Galenus igitur (inquiunt ipſi) lib. 11. meth. ca. 15. poſtquam vniuerſalem illam propoſitionem, quaſi ſub lege ſanxerit de venæ ſectione, ſaluberrimo quidem auxilio in cunctis ſanandis febribus putridis, mox ſtatim limitationem ſubiungit; dum eius auxilij commonſtrat vtilitatem, & infert, *Leuata namque qua corpus noſtrum regit natura, exoneratque eo quo velut ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet.* Quibus verbis hauddubiè inſinuat Galenus (vt ipſi interpretantur) quando non eſt leuationis oneris ſcopus (quod ſemper plenitudinis aliquam differentiam arguit,) nec vſus illius auxilij. Quare illud *omni*, reſpectat ſolum plenitudinem: quaſi in omni febre putrida, exiſtente plenitudine ſit tantum vena ſecanda, haudquaquam ipſa abſente.

Hanc primam affingunt rationem prædicto Galeni elogio hærentem. Sanguis eſt mittendus in febribus tantum, in quibus natura onere grauatur: in plurimis non grauatur. Ergo in his haudquaquam tundenda vena.

Primam adhuc propoſitionem confirmant illis nuper citatis Galeni verbis, ſic conſtruentis argumentum, Vena tunditur propter aliquem ſcopum vtilitatem includentem, nullus alius aſſignatur præter exonerationem naturæ à ſarcina, ergo hac abſente nulla vtilitas, neque vſus. Altera propoſitio, quod in plurimis non grauetur natura, hoc comprobatur entymemate. Plures ſunt febrium differentiæ à craſſo & ſincero ſucco, quales ſunt exquiſitæ: ergo in his nequit onere natura deprimi.

Antecedens iterum innoteſcit, nam ex eo locũ nõ

Matthæo Curtio, viro præſtanti, & huius hæreſis fortè auctore, ad confirmationem huius opinionis. hunc ſequitur eius diſcipulus Horatius Augenius, huius noſtri temporis, nec immeritò maximæ exiſtimationis vir, à quo vno hæc in immenſum protrahitur quæſtio, concitato bello inteſtinali de hac re, inter ipſos doctiſsimos Italos. Verùm hæc breuitati indulgentes conſultò prætermittimus, ad vtiliora conuolantes.

Pars affirmans exponitur ceu vera, quòd in omni febre putrida ex eius natura tundenda ſit vena.

CAP. XI.

EXpoſita aduerſariorum futili opinione, reliquum eſt iam veriorem alteram pandere, rationum momentis firmatam, ac Galenicis vnà præſidiis. huius autem ſententiæ hic ſcopus, demonſtrare videlicet, quòd in omni febre ex putreſcente humore intra vaſa accenſo, ex morbi natura, ſeu ex natura alicuius affectus neceſſariò connexi, & intra limites febrium putridarum contenti, etiam neglecta omni plenitudinis differentia, ius ſit ſanguinem haurire. Liquet iſtud quamprimum, ſi illud elegans Galeni axioma lib. 11. meth. ca. 15. relatum ſeriò contemplemur. Nam ſi cunctis putridis febribus venas ſcindere ſaluberrimum: ergo cunctis aliquis adeſt neceſſariò affectus, cuius ratione deuincimur illud nos deliberare remedium. neque iſtud plenitudo, cùm hæc cunctis neceſſariò non adſit, immò tantùm aliquibus contingat; ſola igitur

firmatur omne, propoſitionem facit vniuerſam, & in noſtra hypotheſi, vniuerſam putridam febrem connotat, cum de ipſa afferat. ergo verè dicetur de ſingulis ſpeciebus, ſub illo vniuerſo contentis. Nam quod verè dicitur de ſingulis, verè dicitur de toto, & è conuerſo, vt noſter commentator Auerrhoës aſtruit, & acutè, tum commentario 8. in lib. 3. de cœlo, tum decimoſeptimo in 1. & 43. in 4. Phyſicorum.

Quare ſi venæ ſectio õni febri putridę ſaluberrima, & talis ſingulis ſpecieb. Si igitur ſimpliciter vera hęc propoſitio, omnis febris putrida ſaluberrimã habet venæ ſectionẽ, ergo per quidp iãilli eſſẽtiale. quod haudquaquam plenitudo, cum potius accidat: neque Galenus vniuerſalem conſtituiſſet, ſi plenitudo requireretur: & affirmaſſet febrem putridam, plenitudinem tantum habentem adiunctam ſaluberrimam habere venæ ſectionem.

Altera ratio. Morbus magnus ex ſua natura magnum indicat auxilium, & ſi humoralis, eius ratione vacuationem ſimpliciter magnam. Sed omnis febris putrida eſt huiuſmodi. Ergo omnis indicat ſimpliciter magnam vacuationem. Si hæc indicatur, ex natura indicantis indicatur: ſed indicans febris putrida eſt collectiuè, morbus ex ſua natura magnus, & humoralis, ergo qua talis indicat magnam vacuationem: quæ ſola venæ ſectio eſt, aut purgatio: & non quia plenitudinem habet adnexam, quod illi accidens.

Tertia ratio. Venæ ſectio ex Gal. lib. 9. meth. cap. 11. vacuandi cauſſam adhibetur, aut ob inutilem ſanguinem propriam qualitatem ad vnguem

non ſeruantem, nequeuntem inſuper nutrire: aut ob ſuam multitudinem auctum, vires premendo, ſiue diſtendendo, ſiue findendo vaſa. Sed febris putrida vtramque amplectitur promiſcuè cauſſam. Ergo lubet ob ſolam alteram inutilitatem ſcilicet ſanguinis in qualitate, venas in febribus tundere, citra plenitudinem.

Eadem illa prima Galeni propoſitio illuſtratur & aliis perbellè Galeni locis, tum ex lib. 8. Meth. cap. 4. & 9. ca. 11. tum ex lib. artis Medicæ cap. 89. deſumptis, quibus conſulit in vtraque plenitudine nos ſcindere venas, vt illam tollamus. in altero autem vitio, videlicet in qualitate, vt & illud minuamus, & inde reliquum exactius multò natura vincat. Alterum relinquo modò compeſcationis ſcopum, cunctis putridis febribus peculiarem, ac proprium.

Aſſumptio probatione non indiget, cùm certum, obſtructionem, putredinis cauſſam, ne à multo quidem ſolùm parari, verùm à lento ac craſſo humore, plenitudine itidem abſente. Craſſum autem, vel lentum vacuamus ſanguinem, vt cauſſam minuamus, obſtruere ampliùs valentem (quod eſt perſpirationem moliri) & vt in locum obſtructionis inculcatum, ablato fouente, & natura ipſa concoquat, & exactius vincat: ſicque cum Galeno lib. 8. Meth. ca. 4. accedimus nos tunc ad detergendas obſtructiones, craſſum attenuando, lentum incidendo.

Quarta ratio, ſi ſola adſtante plenitudine venas in putridis febribus ſecaremus, hoc ideo, quia plenitudo vel ſcopus, vel indicans. Neutrum horum. Ergo ob aliud à plenitudine.

Prima

Prima propoſitio, etiam ab aduerſariis, vti axioma commendatur. quamuis & variè à variis. verum aſſumptio liquet ex Galeno, lib. potiſſimum 4. Meth. ca. 6. cùm plenitudinem neque ſcopum, neque indicantem aſtruat palàm. illud, quia nec ratio ſcopi competit illi, ſemper videlicet aſſiſtere in deliberatione auxilij, cuius ſcopus. ipſa enim abſente, ex Galeno lib. 8. Meth. ca. 4. & lib. 1. de humor. ſen. 12. ac alibi itidem, ius ſanè tundere venas. Rurſus neque indicans: quia cùm vnius indicantis, vnicum ſit indicatum, plenitudo ſolam exigeret venæ ſectionem. Sed exigit, imò & tollitur variis mediis, balneo, frictione, cucurbitis, exercitatione, inedia, clyſteribus, etiam & purgatione, ex Galeno paſſim. Ergo neque indicans.

Quinta ratio. Vti purgatio nec in ſola ſuſcipitur cacochymia, verum adſtante, vel inſtante neceſſariò morbo magno: ſimiliter & venæ ſectio nec in ſola plenitudine, cùm & morbus pariter requiratur adſit magnus. Sed febres omnes putridæ magni morbi: Ergo in his, quà magni, de alterutro auxilio deliberandum. haudquaquam primò, quia plenitudo adeſt, vel cacochymia.

Propoſitio prima mille modò licet Galeni teſtimoniis roborare, tum lib. 8. Meth. ca. 4. lib 4. de rat. vict. c. 8. lib. 3. de artic. ſen. 19. lib. de cur. rat. per venæ ſect. ſen. 62. tum tandem & lib. 4. Meth. ca. 8. & 9. cuius loci verba nunc cap. 6. ſubſcribam, *Neque hoc dico, propterea quòd purgatio vacuatio ſit, quam redundantis ſanguinis concurſu non indicet, ſed quòd etiam, tametſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit, ad ipſam tamen ſanguinis miſſionem interdum ſit confugiendum: quando ſi valens morbus ſit cum vi-*

rium robore: nemo eſt qui ſanguinem non mittat, qui vtique in artis operibus ſit exercitatus. Palàm itaque Galeni verba declarant, quacumque ratione ſe habuerit corpus, ſiue plenum, ſiue citra plenitudinem, dummodò priores illi aſſiſtant ſcopi, fas, imò ius haurire ſanguinem.

Porrò & aſſumptio iterum à Galeno comprobatur lib. meth. 8. cap. 9. aſſerente, *Quippe duplex tum magnitudo febri accedit, & quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus eſt communis: & quæ propria &c.* Innuit his verbis Galenus omnem febrim morbum magnum; non in quali tamen omnem, ſed in quanto: quatenus videlicet dicit extenſionem, ſeu intemperiem toti corpori communem. ſub quo ſignificato, etiam & ephimera continetur, & nomine magni morbi meretur condonari. verùm reliquæ febrium differentiæ in quali ſunt magni morbi, ſiue putridæ illæ, ſiuæ hecticæ, aut peſtilentes. quæ omnes itidem magis adhuc, & minus ſuſcipiunt, cum altera alteri præſtet in magnitudine ac vehementia. Omnis iaque febris putrida (de quibus nunc ſermo) & in ſuo genere morbus magnus, quia magna, ac extenſa intemperies, cor oppetens, nobiliſſimum ac præſtans viſcus: & cauſſæ itidem ratione, putredinis inquam: quæ res maximè præter naturam, cordi maximè officiens, & vires proſternens maximè. Si igitur omnis putrida magnus morbus, ſemper adſtabit adhortans alter ſcopus venæ ſectionis: etiam abſente plenitudine, qua abſente, haudquaquam abeſt in putridis ſcopus hic ſecandi venas. riſum enim vix oppoſitio meretur.

Sexta ratio. Si plenitudine tantum adſtante in febrium

brium putridarum initio ſecanda vena: ergo pari ratione adſtãte cacochymia, eo tempore aluus ſubducenda. cum vtriuſque hæc eadem ratio, hicq; ordo. qua enim ratione ſe habet ad plenitudinem venæ ſectio, eâdem ad cacochymiam purgatio. Porrò & vtriuſque auxilij idem finis, leuare ab onere naturam, vt melius vincat reliquum. verum, quamuis in febrium putridarũ initio adſit cacochymia, piaculũ purgare, tũc imperante ſummo dictatore & diuino Gal. tum lib. 1. & 2. Aph. ſen. 24. & 29. tũ lib. 2. de rat. vict. ſe. 16. & 17. & plurimis aliis in locis, dũmodo turgens nõ ſit materies, quod ſanè perrarum. Abeãt igitur nouitij illi, fœdè oppoſitũ garriẽtes, cachinnãteſve: quia, dũ tãtũ cõſulit vterq; Parẽs turgenti materiei pharmacũ in principio morbi, iſtud nõ cacochymię quidẽ ratione, verũ mot⁹: ob quem, quaſi certò naturę paratur necis inſidioſa, & mors funeſta: cũ à palindrome, parte fortè principe obſeſſa, morb. germinetur acutus, ac hoſtilis. quod cauere ſedulò tenetur Medic⁹. ſed ad inſtitutũ reuertamur. Vti igitur cacochymia purgationẽ nõ inſinuat in morbi principio, ita neq; plenitudo tũc præſens quà plenitudo venę ſectionẽ, niſi obſtructionis fuerit efficiẽs ipſa cauſſa. tunc. n. coëũte cũ morbo magno, ſub cauſſæ ratione coindicabit pariter vacuationẽ, & hãc nihilominus per venę ſectionem pręſtandã, reliquis ad eius vſum neceſſariis, vnà adhortantibus. Cæterum, cum & febres putridæ alias, præter plenitudinem obſtructionis cauſſas obtineant, lentitiem videlicet humoris, tum eiuſdem craſſitiem, & cuiuis ex his iuxta eius naturam prouidendum: aut quatenus fluunt compeſcendo eorũ motum, aut quatenus iam fluxi vacuando: hinc

aſſurgunt peculiares de vena ſecanda ſcopi, neglecta omnino plenitudine, quæ vllatenus in conſultationem non venit, in huius auxilij deliberanda qualitate: cum nec per ſe ſcopus.

Septima ratio; quod maximum eſt, & aduerſariorum tegitur clypeo. Sanguis, inquiunt ipſi, eo in febrium initio exhauritur, vt maior pars ſucci vitioſi tollatur, qua ſublata, iam mox confidentius ad obſtructiones abſtergendas, reſerandáſve conuertamur. hoc itidem appoſitè conſulente Galeno lib. meth. 8. cap. 4. Sed omne ſucci vitium obſtructio-ctiones gignentis aut in quali, aut quanto. Ergo in vtroque ius haurire ſanguinem in febrium principiis, nec ſolum quando multus, nec quia multus, ſed quia inutilis, & morbi cauſſa.

Prima propoſitio Galeni quidem, ab aduerſariis autem non intellecta: quia ipſi tantum arbitrantur intelligendam de vitio in qualitate. quod longè recedit à mente Galeni, vt verborum ſeries declarat, & capitis inſtitutum. de pichrocolis enim ibi eſt ſermo, affectio ſucci qualitate vitioſi, vt à nullo vertatur in dubium.

Aſſumptionem licet itidem ex Galeno ſtruere, libro videlicet 11. meth. c. 13. quo loco cauſſas obſtructionis recenſet, vitium ſucci aut qualitate, aut quantitate peccantis.

Obiiciēt fortè aduerſarij. In redundantia vitioſi ſucci in qualitate, ſeu in ipſa cacochymia, minutio illa potius cathartico paranda, ſeu magis adæquato auxilio, quàm venæ ſectione, ceu diſpari.

Dicemus, ſi ſimpliciter æſtimaremus cacochymiam, benè: verùm, cum in febribus aliò tendamus,

mus, obſeruantes fientem obſtructionem , & factã itidem, humoréſque neceſſariò exiſtant crudi nec ad vacuationem parati, vti nec reſpectu obſtructionis factæ corpus fluidum: interdicenda omnino cathartica in febrium principiis. cum adſint hæc plurima, prohibentia illud auxilium, adhortantiáque potius venæ ſectionem. Vnde ſcitè cum Galeno Alexander, Græcorum ſanè perdoctus vir, lib.12.cap.3. venæ ſectionem tutiſſimum definit auxilium in febrium principiis, efficax pariter, ac citiſſimum, nullam admittens diſpoſitionem ſeu in corpore, aut humoribus. Quid quod, etſi febris putrida morbus venarum, & ex hypotheſi à ſucco qualitate peccante:nequit tamen viuente animali vaſa ipſa omnino deſtitui ſanguine; imò, quod certum eſt, & aliquam huius portionem cum reliquis permiſceri ſuccis ad alitionẽ partium, cum nulla pars ſincero nutriatur ſucco. Quare altero virium adſtante ſcopo, ſemper in febrium principiis adeſt tundendi venas vniuerſalis occaſio. Neque autumandum adæquatè hoc auxilium reſpectare ſuccorum vitium: neque hàc intẽdit Galenus, verum, quia eius minuit copiam, & reliquum mox facilius multò vincit natura: ruentes autem vnicè, ac tutò compeſcit, ac citò: Galeno libr. præſertim meth.9.ca.11.& aſſiduo atteſtante vſu.

Octaua ratio, ſi in cunctis febribus putridis ſanguis hauriendus non eſſet, inſciè affirmaſſet Galenus, *Saluberrimum eſt non in ſynochis modò, verum in omnibus, in quibus putreſcens accendit humor* &c. Si namque tantum reſpectaſſet plenitudinem, literis potius mandandum, in ſynochis, aut his, in quibus

vrget plenitudo, ſanguis detrahendus. vnde cum bimembrem fecerit orationem, autumandum potius omnium putridarum ſpecies fuiſſe amplexum, ſiue cum plenitudine, quales neceſſariò ſynochæ, ſiue citra eandem, cùm in reliquis contingenter potius ſe habeat.

Nona ratio. In reuulſione, actu iam morbo exiſtente, duo potiſſimùm Galenus obſeruanda præcipit libr.4.meth. cap.6.non ſolum motum humorum,eorumdémque impetum,verùm & terminum ad quem ruit, pars videlicet in qua viget morbus, neglecta omnino plenitudine. Sed in cunctis putridis febribus, in earum videlicet initio fluxus adeſt humorum ad putredinis ruentium larem. Ergo & in cunctis huiuſmodi adſunt reuulſionis ſcopi: vtriſque ſola appoſitè ſatisfacit venæ ſectio. Ergo & in cunctis putridis febribus eam exercendam eſſe ſuadet methodus, ſiue adſtante plethora, ſiue eâdem abſente.

Aſſumptio prioris ſyllogiſmi, quidquid balet Augenius, eſt veriſſima, vt infrà mox oſtendemus, & à clariſſimo Galeno paſſim libris meth. recepta, & ab vniuerſo illuſtri Medicæo cœtu vnicè iugiter amplexa.

Alterius verò ſyllogiſmi aſſumptio, ſic probatur: Si in quibuſdam febribus effundere ſanguinem non liceret, hoc ideò, quia ruens humor quàm maximè à ſanguinis recederit idea: Sed hoc non prohibet cogentibus indicationibus, quibus adæquatè ſatisfacit, propter eius præſtantes ſcopos, ſectio venæ.

Ergo in cunctis eaſdem aperire ius. In primis reuulſio, quam appoſitè parat venæ ſectio, motum

tum reſpicit, haudquaquam humoris naturam: inde ex hac compeſcatione, ex tuſa vena parta hæc inſequuntur commoda, perſpiratio quamprimum accedit, conſequenter inhibetur putredo, mox & febris. rurſus imminuta materie calidi illius præter naturam, & perfrigeratur corpus, liberatur natura à praui illius ſucci onere, & reliquos melius multò vincit, ac ſuperat, in optimámque ſymmetriam redigit. denique & plurimos vapores calidos à putredine, ac febrili feruore elatos, intráque vaſa contentos, diſſipat, exoluit.

Iſtud exactè experimur in febribus potiſſimùm chronicis, ſupercalefacto corpore, & à diutino illo febris calore, & aliquando etiam ab vſu pharmacorum facultate calidorum, in quibus vena tuſa, fuſóque ſanguine vnà exoluuntur vapores illi calidi in fornace vaſorum collecti, putredinoſi caloris fomites. & inde ſæpè, incantamenti ritu, & febris ſtatim iugulatur, cum maximo artificis, & auxilij decore; & ornamento. Lubet igitur in cacochymia, & ſuccorum prauitate ſaltem compeſcationis beneficio, tot continentis dotes, audacter venam ſecare, cum tutò, citò, & adæquatè illos conſequatur.

Rationes conuelluntur negantis partis, quod in cunctis putridis febribus ſanguis non ſit hauriendus.

Cap. XII.

QVàm vana, vana inquam, execranda potiùs, Nouatorum opinio de mittendo ſanguine in putridis febrib. non adſtante plenitudine, & illorum leuitas rationum demonſtrat, & oppoſitæ pariter ſententiæ robur maximum. Sed ne verbigeremur: imò potiùs ratione bellemus, poſt robur oſtenſum, leuitatem eorum inſinuemus par eſt. Et cùm opinionis illorum vis quammaximè dependeat ex illa Galeni doctrina tantopere decantata, quam ipſe refert lib. 11. Meth. ca. 15. in qua vnica eorum ſpes, indiuidua ſalus, quam ne deguſtarunt quidem ipſi: proinde totis viribus, totóque conatu & luſtrare nobis mens eſt, & genuinum Galeni ſenſum iugiter aperire. Inquiunt itaque illi, plenitudinem requiri ad venæ ſectionem, quia Galenus eo loco tantum illius auxilij vſum declarat leuamen oneris, & ſarcinæ: quaſi vnicus ſit ſcopus huius auxilij leuare naturam à ſarcina, qua premitur; & cum prementem ſarcinam intendant ipſi nihil aliud à plenitudine eſſe, hinc iuxta mentem Galeni, tundendam venam in febrib. put. vt tollamus plenitudinem tantùm: arbitrantur hácque abſente renuendum auxilium. ô mentes preſſæ, ô grauatæ onere! Inprimis inſignis Galenus, cunctis febribus, non continentibus modò, verum & reliquis ab humorib. putreſcentibus acceſis, illud

præ-

præſtans auxilium ingenuè conſulit. cúmque præcedenti ca. 10. eiuſdem libri perbellè methodum deſcripſerit ſanandi febres putridas, in quarum curatione, inquit, ab eo, quod vltimum in reſolutiua methodo inuentum eſt, inchoandum. vltimum autem occurrit obſtructionis cauſſa, quæ dum fiens, & futura propulſanda, compeſcendo videlicet affluxum obſtruentium ſuccorum: hócque præter cætera auxilia vnicè præſtet venæ ſectio: hæc ædepol propter hunc vſum, ex Galeni decreto, imperanda. quare cùm cap. 15. loco à nobis luſtrando propoſito, Galenus hunc vſum, iam à ſe præſcriptum eo 10. cap. ſuppoſuerit, alterum mox ibidem aſſignat, reſpectantem potiſſimùm partem humoris iam fluxam, quam grauare naturam innuit, quominus poſſit eandem concoquere, ſecernere, ac expellere, & ſic ægrotantem à febri liberare. Vtrumque concinnè venæ ſectio adimplet, compeſcit namque, & fluxionis iter appoſitè reflectit, & fluxum humorem ſuo onere naturam grauantem vacuat, ac leuat eandem, vt perbellè concoquat, & victoriam humoris reportet. Cúmque ex Galeno tum citato ca. 10. 13. & 15. in omni febri putrida omnes hæ adſint indicationes compeſcendi fluxionem, & vacuandi grauantem iam fluxum humorem, accuratè in omni febri putrida, ex vi methodi, tenemur deliberare de venæ ſectione, adæquatè, citò, ac tutò vtrumque præſtante. neque requiri ad hoc auxilium plenitudinis præſentiam, cùm in plurimis febrium differentiis hæc abſit, & cunctis tamen illud imperandum. Quod autem per onus, & ſarcina non intelligatur plenitudo, ceu res valdè diſpares, conſtat abundè, ex noſtra diſputatione iam ſu-

perius tradita c. 7. & 9. Rurſus, quod non requiratur plenitudo ad hoc auxilium, apertiſſimè declaratur à Galeno lib: 13. meth. c. 5. dicente, *Sanè vacuamus totum corpus, ſicut in libro dè plenitudine mõſtrauimus, non modò cùm in redundantia ſuccorum eſt habitus*. vel vt altera lectio habet plethoricum eſt: *Sed etiam cum mediocritatem ſuccorum continet, ſi morbi magnitudo ſuadeat.* Quid dilucidius? Noctuæ, cur lucem quæritis in meridie? Ab illa igitur mediocritate ſuccorum quit natura grauari, & premi, loco præſertim in quo ἑστίαν; ibi enim inculcatus humor, neque à facultatibus naturalibus preſſis gubernatur, aut neque vincitur, imò vincit ille, dum putreſcendo calorem accendit præter naturam, deſtruit κατὰ φύσιν, compagem naturæ corrumpit, omnes eaſdẽ facultates naturales labefactat, occupat .n. τὴν ὁλομελίαν ſeu vniuerſitatẽ. Leuabitur igitur natura, ſi & illa mediocritas ſuccorũ, eãdẽ premẽs, vacuatũr. ꝙ appoſitè, & vnicè in febriũ prĩcipio venę ſectio pſtat. & hoc intẽdit Gal. in eo capite à nobis luſtrando propoſito, hæcq; eius mẽs, hic ſenſus.

Sed aduerſariorũ rationes, iá infirmemus par eſt. Inprimis illorũ primã, cuius admittimus & primã propoſitionẽ, negãdo mox alterã: quia in cũctis put. febr. grauatur natura; neq; onus æquè patet, ac plenitudo, diſparia enim ſunt, vt diffusè dictum ſuprà. Porrò & illud negamũs, quod ad aſſumptionis probationem aſtruunt. Nulla namque febris, in qua onus aliquod grauans non ſit, facultates ſaltem naturales. Neque Galenus ad Glauc. denegat exquiſitis febribus ſectionem venæ, quia nulla in his plenitudo, aut nulla ſarcina; verũ, aut quia in his, vires non conſtant robuſtæ, vt in exquiſita tertiana: aut quia adeſt aliquod prohibens, ſeu tale auxilium

dehortans. hoc enim dehortatur, humoris aliquando natura, vt in quotidiana maxima humoris pituitoſi cruditas, ab idea ſanguinis aliena; aliquando craſſities, ac frigiditas ingẽs humoris melãcholici, in quartana. Nã ex Gal. lib. 4. de tuẽd. valet. c. 4. & li. 1. de alim. fac. c. 2. crudorum humorũ copia, ex ſua natura à venę ſectione abhorret: quia ſub horũ prędominio nequeũt vigere vires, vt innuit doctè Gal. lib. de cur. rat. per ven. ſect. c. 9. & 13. alioquin ſi ipſæ ſuũ obtinuerint robur, morbúſq; poſtulauerit, ſcindẽdæ quidẽ venæ. Quare in quartana ſi calidi & biliosi ſanguinis adfuerit copia, pro beneficio habenda, cum emendet melancholici ſucci qualitates, quartanæ materiei, frigiditatem eius attemperet, & attenuet craſſitiem; vnde haudquaquam tundenda tunc vena, ſcindenda autem, exiſtente ſanguinis melancholici plenitudine, vt hanc tollamus, exoneretúrq. natura, & facilius ipſa reliquũ cõcoquat. hinc in quartanã, hac tantum præſente, hoc conſulit ipſe auxilium. cap. 11. quia cum morbus chronicus, etſi magnus, huius auxilij non vrget vſus, & cum rurſus materies tum frigida, tum craſſa, neque calor natiuus exoluendus aut imminuendus, neque refrigerandum corpus: imò excitandus ille potius, vt materiem hanc rebellem vincat, ac concoquat. qua ductus ratione Galenus in melancholica plenitudine illud auxilium adfectat: cum plenitudo ex ſe nata ſit & calorem natiuum quaſi ſuffocare, & naturam opprimere, ac grauare: leuatur autẽ natura, & à ſuffocatione prorſus liberatur natiuus calor, hoc præſtanti auxilio. Methodũ hãc ſciẽter exercet Galen. lib. 3. de loc. affect. c. 7. dum de melancholico diſputat delirio. Neq; in his morbis primò & per ſe ſãguinẽ mittit Galenus, propter ipſã plenitudinem,

verum propter morbum magnam habentem cauſſam efficientem,& fouentem, vt depoſita illa videlicet,plenitudinę,& minor ſit cauſſa,& à natura faciliùs multò vincatur, & conſequenter ſanetur morbus. Si enim ſanguinem hauriret primò, quia multus, non diſtingueret multitudinem melancholicam à biliosa,imò indifferenter in vtraque,illud conſuleret auxilium. Quamobrem non reſpuit Galenus hoc auxilium in exquiſitis febribus, vt Nouatores iſti ſomniarunt, quia nulla plenitudo, nullúmque onus;figmentum planè, vt copioſè demonſtratum;cum & in omnibus,etſi nulla plenitudo,neceſſariò onus adſit. quid quod nec lib.de plenit.cap.8. cum ipſis ſentit Galenus, quaſi ſola humorum omnium multitudo onus ſit, haudquaquam humorum in qualitate peccantium, vt perperam ſenſerat Eraſiſtratus. nam quamuis verum, in plenitudinę eſſe onus, hócque cum ſenſu grauitatis, non denegat tamen idem onus in moderata etiam quantitate humoris cachochymi, & qualitate peccantis, citra tamen ſenſum manifeſtum grauitatis,ſed tantum rei moleſtæ & infeſtæ. hinc arguebat Eraſiſtratum, has res confundentem, ſenſum videlicet moleſtum,cum ſenſu grauitatis;nam hic à quanto, alter verò à quali. quale autem iſtud, ſi ſua ſimul quantitate in ſe moderata, reſpectu autem virium immoderata, naturam grauet, dicetur graue quantitatis ratione, & moleſtum ratione qualitatis infeſtæ. Exemplo hanc rem luſtrat Galenus in laſſitudine lib.3.de tuend.valet.cap.5.

Anilis igitur,& elumbis hæc Nouatorum ratio, cum ex Galeni mente,libro præſertim 9.meth.c.11. & plethoræ, & vitio in humorum qualitate ius ſit

haurire ſanguinem, idem confirmante Celſo lib. 2. c.10. quid quod nec ſemper plethoræ venæ ſectio ex vſu, iuxta illud lib. 1. ad Glauc. ca. 11. de quartana, in qua nefas tundere vaſa, adſtante plenitudine ſanguinis calidi & billioſi, fas autem in altera quæ cachymiam melãcholicam adiunctam habet, quamuis in vtraque, & ſuo onere grauetur natura.

Secunda ratio (parcant mihi Nouatores) inepta. Nam ex Galeno, & ex vniuerſa Medicorum exedra, in cunctis febribus, præter febrem & putredinem alij reperiuntur neceſſario affectus: vti enim febris cauſſam habet putredinem, ita putredo trãſpiratum prohibitum, & hic obſtructionem, affectũ morbum & permanentem, à qua exordienda curatio, ceu reliquorum affectuum caudex: hæc nihilominus duplex, & fiens, & facta, tollenda hæc, prohibenda & altera. prohibet, cum appoſitè fluxionis iter reflectat, inter cætera citius, ac tutius venæ ſectio: tollit factum, partim eandem partem & purgatio. venæ ſectio, dum vacuat materiem iam fluxam, & obſtructioni coniunctam, fatemur obſtructionem in totum hanc non tollere, affirmante Galeno lib. 11. meth. ca. 14. ſed ſolam purgationem, materie prius altera, & cocta. Cæterum cũ obſtructio morbus ſit, & ſua fruatur cauſſa, hãc triplicem promiſcuè ſignat Galenus, lib. 11. meth. c. 13. multitudinem, craſſitiem, lentitiem: cuique ſua peculiaris eſt indicatio. multitudo namque vacuationem, craſſities attenuationem, lentities verò inciſionem indicat: verum ſub ratione motus, quatenus videlicet confertim ducuntur, ac ruunt humores hi ad obſtructionis locum, altera & diſpar exurgit indicatio, compeſcationis ſcilicet, & retractionis ver-

ſus oppoſitam partem, quod perbellè præſtat venæ ſectio. tenemur igitur de hoc auxilio neceſſariò deliberare, æſtimatis ſcopis. Neque mouemur proximè ad ſecandas venas ob putredinem, aut febrem, cum hæc diſparia indicent, ex quibus non deliberamus de vena ſecanda: neque rurſus impellimur ob ſolam plenitudinem, quia hæc neceſſariò non adeſt. Quare cogimur perpetuò ob affluxum, vt cõpeſcamus, & ob iam fluxum, vt partem vacuemus, quæ ambo neceſſariò requiruntur in omni putrida febri. Ruit igitur omni ex parte clumbis eorũ ratio.

Leuis tertia ratio infringitur, negãdo conſequẽs, & conſequentiã: quia vtrũque falſum. Galeni namq; illud preclarum axioma catholicum, neque hoc infirmant peculiaria alia dehortantia in febrib. venæ ſectionẽ: quia hoc auxilium, vt quàm quod veriſſimum eſt, non indicatur, ſed deliberatur: & cum ad cuiuſque auxilij deliberationem non ſufficiant indicantia concordia, & adhortantia, verum æſtimãda pariter ſint diſcordia & dehortantia, iuxta cuiuſque dignitatem: proinde poſſunt adeſſe in deliberatione venæ ſectionis in febribus aliqua dignatione maxima, qualia ſyncopes, & maxima humorũ crudorum cọpia, & congeries, quę quidẽ dehortabũtur eiuſdẽ auxilij vſum, neq. iſtud infringit catholicũ illud axioma, in cunctis febribus putridis, ex natura affectuum aſtantiũ, ſaluberrimũ venas ſcindere.

Quartę rationis negamus aſſumptionẽ. nã quamuis explicitè lib. 11. meth. c. 13. non inſinuarit Galenus affectus, ex quibus deliberamus de vena ſecanda, iſtud iam explicitè docuerat cap. 10. eiuſdem libri. Quare obſtructionis cauſſa, non ſolum quâ multa, verum, & quâ mouetur & agit, pręcauenda. agit autem

tem neceſſariò, aut dum de nouo gignit, aut dum generatum non ſolum fouet, verum & auget. cum igitur venæ ſectio huic duplici ſcopo ſatisfaciat, prohibendo quod fit, & minuendo quod factum, nulla habita plenitudinis ratione, ſemper in cunctis, ac neceſſariò ex vſu erit.

Vacuationis tantum gratia in febribus putridis ſecantur venæ, Nouatorum opinio.

CAP. XIII.

INſenſi Veritatis hoſtes, cum totis viribus tueri conētur ſolam plenitudinem in feb. putridis venæ ſectionem indicare: cogantur rurſus inuiti, fluxionem omnem fateri reuulſionem indicare, & hāc præſtare commodius venæ ſectionem, hinc attrita fronte, increbreſcente minimo principij errore, temerè obſtructionem fientem, fluxionem, videl. ad putredinis larem ruentem, negare pręſumunt. Quo perculſo errore, ne dicam veſania, omnem genuinam febrium put. funditus euertūt hiſtoriam, & diuinam Galeni methodum in hiſce curandis diſſipant, exterminant. quid quod poſt tot ſæcula (proh dolor!) nouarum hęreſium, maxima cum hominum clade auctores fiunt. vt autem incautos decipiant tyrones, quod hec minimum, Galenum theatri Medici iubar, tanti erroris, cunctis fautorē impudēter proponunt. Sed hos iam audiamus, mox diſcrimen ſubibimus, aquam infundentes in ſacrū hūc ignē.

Inprimis itaque Galenum offerunt illud inſinuātem, dum lib. 11. meth. cap. 15. illo iam ſuprà celebrato axiomate, venas ſcindere in febribus imperat, vt ita à ſuo onere natura leuetur: leuamus autem eandē ſolū, cū plenitudinē, naturę onus vacuamus & cū ibidē nullū aliū pręter hūc aſſignet Galenus vſum,

neceſſariò arbitrandum ſenſiſſe fluxionem abeſſe, ob quam vrgeret tunc compeſcationis indicatio, ſi præſens eſſet. Porrò & idem dilucidius exponit lib. 8. meth. c. 4. cum mittendum conſulat ſanguinem, vt vitioſi ſucci maiore parte emiſſa, ad detergendas mox obſtructiones accedamus: cum alioquin metus ſit, illo non vacuato, nos magis obſtructiones impingere, ſi ea quæ à farctu liberant propinemus. Nulla igitur hoc loco reuulſionis, ſed vacuationis tantummodò facta mentio. Tertiò denique & altera Galeni auctoritate eandem fidem aſtruunt. hic itaque lib. 11. meth. c. 10. illud idem in ſanandis febribus conſulit, quod mox in citato libro 8. meth. Quare cum ſolius vacuationis, nuſquam reuulſionis meminerit Galenus, cenſendum ſibi cordi fluxionem reſpuere, admittere tantum plenitudinem, quam adæquatè vacuatio, quæ per venæ ſectionem fit, exoluit. Sed iam rationum momenta æſtimemus, quarum hæc prima.

In communibus morbis, nulla peculiari adſtante particula affecta, quoties adminiſtratur venæ ſectio, hæc vacuationis tantum gratia exercetur. Atque febres cunctæ putridæ ſunt huiuſmodi. Ergo.

Prima propoſitio & veriſſima, & nihilominus Galeni auctoritate firmata, tum comment. 3. in lib. 1. prorrhet. ſen. 53. tum & lib. de curandi rat. per vē. ſect. c. 19. Ex eo autem elucet veritas, quia reuulſio, carceres vtroſque reſpectat, & à quo, & ad quem, morbi verò communes, cum priuata careant ſede affecta, neceſſariò & eiſdem carebunt finibus. per conſequens igitur, reuulſionis in his nullus vſus, imò ſolius vacuationis, ſi fortè plenitudo vrgeat.

Aſſum-

Aſſumptio ex febris definitione elucet. Febris namque calor per totum corpus diſperſus. Nulla igitur priuata huius ſedes.

Secunda ratio: Iteratæ detractionis tempus, qua ſimpliciter vacuare intendimus, eadem dies: in quibus autem morbis reuellere, tantum abeſt quod eadem, verùm ſi duobus deinceps diebus fiat, multò melius exerceatur, auctore Galeno lib. de cur. rat. per venæ ſect. c. 2. Sed in febribus putridis eodē perſæpe die, aut ſaltem poſtero, iterando, ſanguinem detrahimus. Ergo in hiſce febribus, ſimpliciter vacuare nobis mens.

Tertia. In quibus morbis ſimpliciter intendimus vacuare, amplam imperamus ſectionem, vt æquè nos & craſſos, & tenues vacuemus humores: in quibus autem ſolùm reuellere anguſtam potius: ſed in cunctis febribus amplam ac latam iubent omnes Medici, vt pariter omnes craſſi, ac tenues æquè ducantur humores. Ergo in febrium put. curatione ſolus intēditur à cunctis vacuationis ſcopus.

Quarta ratio. Euacuatio fit vnica pręſertim, ac copioſa ſanguinis detractione, reuulſio contrà parca, & per vices repetita, etiam ex Galeno lib. de cur. rat. per venæ ſect. cap. 12. Sed in febribus putrid. vt exoneretur natura ea, qua premitur ſarcina, & reliquum facilius deinceps concoquat, inutile excernat, extinguatur denique febris, calida vacuata materie (ſcopi præcipui huius auxilij in febribus) magna nihilominus extrahenda ſanguinis copia. Ergo in his haudquaquam reuellere, verùm vacuare tantùm intendimus.

Quinta. Auxilium indicari debet primò, vel ab ipſo morbo, vel ab his, quę cū ipſo cōnectūtur, cauſ-

ſa videlicet, vel aliquo vrgenti ſymptomate. Sed reuulſio quæ per venæ ſectionem fit à nullo in febribus quit indicari, verùm vacuatio ſola per eandem. Ergo non reuulſionis, ſed vacuationis tâtum beneficio ſanguis hauritur in febribus.

Prima propoſitio deſumpta eſt ex methodi doctrina. Aſſumptio rurſus probatur, Gal. lib. 11. meth. cap. 13. ſeptem tantum in cunctis putridis febribus reperiri affectus litteris mandauit, ex cunctis illis, nullus, præter multitudinem, quæ aliquibus accidit febribus, ſanguinis extractionem poſtulat. Ergo hic tantum ſcopus huius auxilij in febribus. nullus igitur reuulſionis vſus. quid quod & quibus abeſt multitudo, nec vena ſcindenda, quod innuit itidem Galenus lib. de conſtitut. art. Med. cap. 19.

Cæterùm ſi fortè quis aduerſus huius rationis momentum obiiciat, Galenum lib. 11. method. ca. 10. in feb. putridis duplicem æſtimare obſtructionem, fientem nimirum, & factam, & illam haudubiè compeſcationem, ac reuulſionem indicare. Huic ſatisfaciunt illi, dicendo, quod in cunctis putridis feb. quatuor tantum reperiantur humorũ fluxiones, quarum nulla reuulſionem indicat per venæ ſect. & per conſequens in eo loco iſtud non intendit demonſtrare Galenus, nam quod compeſcendum cenſet ipſe, fluxus eſt ille primarius, obſtructionis efficiens cauſſa. quem ipſi, contraria cauſſæ, aut materiei qualitate, arbitrantur compeſcendum, vt ſi tenuis humor incraſſando, ſi acris attemperando; ſi fortè dolor fluxionis cauſſa anodinis, ſi calor refrigerantibus. nullúmque vſum habet venæ ſectio in huius affectus curatione

facta

facta autẽ obſtructione, aut humore iam putreſcẽte, accenſaque ab hac putredine febri, nullus perſeuerat ampliùs fluxus ad obſtructionis locum, & per conſequens nullus reuulſionis vſus. de hac primaria fluxione, inquiunt Nouatores iſti, loquutum fuiſſe Galenum lib. 11. meth. cap. 4. & libr. 3. de tuend. valet ca. 10. lib. 4. de rat. vict. & lib. 4. Apho. ſen. 1 tum tandem & li. 1. Epid. ſen. 58. Cæterum præter hanc primam, alteram aſſignant illorum humorum, qui per ſingulas acceſſiones viciſſitudinariè, exiſtente iam actu febri ad putredinis focum acceruantur vel aliunde tranſmiſſi, vel à parte in qua humor putreſcit attracti, vel in eâdem, ex oblati portione alimenti congeſti. qua vltima ratione gigni poſſe febrim atteſtatur Gal. li. 2. de diff. feb. c. 18. Tertiam fluxionem concitari affirmant, dum humores per initium paroxyſmi, irritata expultrice laris putredinis, alibi expelluntur, ſiue intra vaſa vt in continuis, ſiue extra in corporis habitu, vt in intermittẽtibus. Quartam denique ſtatuunt, dum retracta natura, etiam humores in putredinis lare aceruatos expellere aut criticè conatur, aut ſymptomaticè. quo tempore ſpiritus, & ſanguis retrahuntur ad internas partes, vt adiuta natura fœliciùs progrediatur ad cauſſæ morbificæ expulſionem, vt Galenus perdoctè illuſtrat tum libr. 1. de rat. vict. ſen. 46. & lib. 2. Apho. tum & libr. 11. method. ſen. 1. cap. 20. Quamobrem cum nullæ aliæ aſſignentur, aut fruſtra ſaltem in hiſce febr. putridis fluxiones, & ex his nulla compeſcationem per venæ ſectionem indicet, futilè ad hunc ſcopum auxilium. non equidem prima, vt iam demonſtratum, quia imperſceptibilis, cũ tũc adhuc actiones nõ le-

dantur, per quas venimus in morborum cognitionem. Multo minùs & altera, quia cùm perſeuerans per omne morbi tempus, adſtaret vſus perpetuò illius auxilij: quod abſonum. Tertia & vltima. Cùm actiones ſint expellentis naturæ cauſſam ipſam morbificã, ſiue fuerit ipſa irritata, ſiue κτ φύσιν procedat, haudquaquam illas cõpeſcere licet, venæ ſectione, neque fas eaſdem aliqua arte impedire.

Cùm hæc igitur ita ſint, manifeſtò conſtabit, nullum affectum in congerie febrium putridarum, reuulſionem poſtulare per venæ ſectionem, ſed potiùs vacuationem tantum per eandem; cum videlicet adfuerit multitudo, obſtructionis cauſſa.

Hæ ſunt præſtantiores rationes, quibus Nouitij iſti elumbem eorum opinionem perperam conantur tueri: partim à quodam illius hæreſis acerrimo propugnatore inuentæ.

In cunctis putridis feb. indicatio adeſt reuulſionis, aduerſus Neotericos demonſtratur.

Cap. XIV.

NEſcio quo fato, oſcitanter Neoterici fluxionem vniuerſalem non admittant, per totum febrium put. principium ruentem, cum & eandem in ſyſtrophicis inflãmationibus concedãt. vti enim ambo affectus in generationis modo cõueniunt, ſic & in curatione, teſtãte Gal. lib. 4. meth. ca. 4. Inprimis, in primo exortu, quia vtrique materiẽ habent, & antecedentẽ cauſſam, humores in corpore exundantes. Deinceps concordant, quia, vti in inflammationibus, poſtquam aliquas continent partes factas, fluxa

fluxa videlicet ſuccorũ aliqua portio,per inania ſpatia partis inflammatione obſeſſæ contenta, adhuc nihilominus & pars fiens eſt, fluxio videlicet, & intemperiem augens,& partem in maiorem diſtendens molem. quæ fluxio, vt paſſim Galenus ſcribit, lib. præſertim de totius morbi temp. c.3. per totum vniuerſalis principij tempus effatu digna procedit (quamuis & in augmento, ac ſtatu aliqua & minima ex vicinioribus partibus ſuccorum cõfluat copia.) Similiter porrò in cunctis putridis,poſtquam fluxa materies, in vaſis aceruata, aut mole,aut qualitate, aut vtroque modo obſtructionis eſt fœtura, adhuc itidem per totum vniuerſale tempus principij, fluxio, eâdem ſerie effatu digna procedit, verſus partem obſtructam perpetuò impetum ducens. quæ peculiares acceſſiones non gignit, cum & hac reſtita, nihilominus & per reliqua tempora acceſſiones illæ fiant. verum febris vnà conſtitutionem vniuerſalem producit, eiuſdem vniuerſale principium terminat, vim morbi eius acceſſu pariter auget,& naturam quaſi extendit, & amplius ſuo onere grauat. Priuatæ autem acceſſiones, per totam vniuerſalem morbi conſtitutionem fiunt, à portione quadam putreſcentis materiei iam fluxæ, & putredinis foco viciniori, quæ per contactum alterius putridæ materiei, citius multò corrumpitur.

Hæc doctrina, ceu communis, & ab vniuerſo inſignium Medicorum Muſæo familiariter recepta, honorificè exculta, probatione non indiget. hic concentus, infallibile quidem veritatis ſymbolum. Veritas namque in eo exiſtit, in quo vno, ſuo quaſi nutu, cunctorum, aut ſapientum hominum du-

cta ingenia, conueniunt. Hanc eandem doctrinam, ſi attentè, aut æquo animo Neoterici explorarent, palàm Galenum eandem luſtrantem percepiſſent, tum lib. 8. Meth. ca. 4. tum præſertim 11. ca. 10. Exemplo autem earundem inflammationum, propter vtrorumque affectuum admirabilem harmoniam, & lib. 2. de febrium diff. ca. 13. 14. & 15. quo loco per exempla notiora, & ſenſibus obiecta, febrium doctrinam illuſtrat. quam methodum & lib. Art. Med. cap. 75. in tradendis ſignis, quibus corpora ægrotantia dignoſcuntur, obſeruat iugiter Galenus.

Demum, quod ea quæ nuper diximus ad Galeni *διάνοιαν* ſint, conſtat & altero Galeni loco dilucidè. hic enim lib. 14. Meth. cap. 10. cùm de anthrace, ſeu carbunculo diſputaſſet ſanando, hæc infert, *Sed & incipiendam ab inciſa vena curationem eſſe, id quoque neminem latere arbitror, qui præſertim meminerit, quæ in curatione febrium, de ſanguinis miſsione diximus.* Liquet igitur ex his, vti iam ſupra ex libro 4. Meth. retulimus, inflammationum ac febrium eadem medendi methodus. Nam ſi anthrax, in quo etiam Neoterici fluxionem admittunt, venæ ſectionem exigit, vt illa compeſcatur, & huius curatio, citra miſſionem ſanguinis, petenda ſit ex febrium curatione: neceſſariò & in his admittenda fluxio: cùm idem ſcopus, quo monemur ad venas ſecandas in vtriſque affectibus, vt inſinuat apertè eo loco Galenus.

Quamobrem cùm longè lateque pateat, tum ex Galeni mente, tum omnium grauiſſimorum doctorum conſenſu, in cunctis putridis feb. adeſſe fluxionem, & ratio idem ſuadeat, cùm ferè ſit impoſſibile primam illam fluxionem; morbi magni generan-

nerantem conſtitutionem vniuerſalem, breuiſſimo illo primę generationis temporis circo, claudi: ita, vt exorto morbo (oritur autem immediatè finita agentis actione, & relicta, ceu termino, ipſa obſtructione, naturalem actionem lædente) ſtatim & illa ceſſet. eò præſertim cum adhuc natura ad motum ſit concitata, & ab aliquibus præter naturam cauſſis mox irritata, valentibus ſanè eundem humorum motum in longius tempus differre. Si itaque fluxio, ergo & compeſcenda: iſtud aut ſectione venæ, aut purgatione, ceu adæquata morbi magni auxilia. purgatio locum non habet in febr. putridarum initio, ex diuino Dictatore lib. 1. Aph. ſen. 22. ergo.

Præterea, in omni febre putrida, cauſſæ adſunt perſeuerantis fluxionis, quas Galenus recenſet, libro præſertim 4. de rat. vict. ſen. 1. robur videlicet partis alicuius expellentis, & recipientis imbecillitas: calor rurſus partis in quo ruit humor; qui in putridis feb. eſt putredinis lar, efficax ſanè attractionis cauſſa, vt Hippocrat. innuit eodem libr. 4. de rat. vict. ſen. 2. denique quantitas, & qualitas humoris naturam concitans, ac irritans, nec non & aliæ pleræque cauſſæ. Sed hæc omnia, omni coaptantur putridæ febri. concedendum hauddubiè in omni, neceſſariò adeſſe fluxionem. quæ neceſſariò itidem compeſcationem indicat, ac reuulſionem, ne morbus increbreſcat.

Porrò & alia ratione idem demonſtrare lubet, omnes febres putridæ hoc commune habent, vt in ſua natura omnes illi ſeptem affectus, quos Galenus dinumerat libro vndecimo, method. capite decimotertio, includant: quorum priores

quatuor duplicem habere partem, teſtatur idem Galenus,eodem lib.c. 16.fientem videlicet, & factã; Sed inter hos quatuor connumeratur obſtructio (quã Syluaticus contr.44.callidè præterit,& occultat.) Ergo vti facta obſtructio indicat quæ aperiãt, ac à farctu liberent; ita & fiens indicat, quæ eãdẽ præcaueat. fiens autem eſt, fluxus humoris ad obſtructionem factam; ergo hic indicabit retractionem, ac reuulſionem. & quamdiu durarit hic fluxus, tandiu aderit & reuulſionis indicatio. nequit ceſſare exorto ſtatim morbo, cum adſint cauſſæ eundem commouentes, & declarat obſtructionis, & per conſequens morbi incrementum, & ſuperuenientia ſymptomata. Quare ceſſabit,vti in inflammationibus ille, circa finem vniuerſalis principij, aut ſaltem paullò pòſt: per quod tempus præſertim reuulſionis vrget vſus,& indicatio.

Galeni verba iam perpendamus, quibus ſuprà primam luſtrauimus propoſitionem, inquit itaque Galenus lib.11. meth.ca. 10. *Porrò quod in generatione eſt, id perſpiratio impedita facit. Ita ab hac quoque aliæ duæ indicationes naſcentur, tum vt quod retentum eſt, vacuetur: tum quod retinendum eſt, prohibeatur. Sanè prohibebitur iis præſidiis, quæ obſtructioni medentur. Cuius rurſum ipſius quod iam occupauit, ſanandum eſt, quod futurum eſt,propulſandum. At curabitur quidem quod obſtructum iam factum eſt, per ea,quæ obſtructa liberant, propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium ſuccorum compeſcas.* Quis amabò mentis compos dicet,hoc loco Galenum tradere ſolam illam primam fluxionem generationis obſtructionis primam efficientem cauſſam: huicque tantum præuidere? ô cæci, & cœco-

cæcorum ductores. Dum itaque perſpiratum prohibitum ſanat, inquit hoc conſequi ex ablatione eius cauſſæ, obſtructionis videlicet quæ iterum cũ duplicem habeat partem, retentum, videlicet, humorem, obſtructionem ſcilicet factam, illum humorem vacuandum cenſet; retinendum autem, ſeu qui fluit, aut fluxioni paratus eſt prohibendum. futurum igitur propulſandum arbitratur; propulſabitur autem, inquit, ſi affluxum ſuccorum compeſcamus, quod eſt primum in curatione, recellendo, videlicet, per venæ ſectionem humorum motum ad factum, & iam obſtructum impetum ducentem. quo prius non præſtito, nihil in tollenda facta obſtructione proficiemus, imo & maiorem reddemus affectum, vt paullò infrà innuit Galenus. Quare manifeſtò concedit Galenus fluxionem, fluxo vnà exiſtente; cum hunc tolli ne poſſe cenſeat, altera prius non præuiſa, ac reuulſione non propulſata.

Tandem, & quod magis eſt, non ſolum veriſſima exiſtit doctrina hæc, iuxta cunctas febrium putridarum ideas, verum cõprobatur & in ſynochis, in quibus hauddubiè eſt aliqua fluxio, ſeu affluxus fiens obſtruentium ſuccorum, etiam in omni illa triplici ſynochorum differentia. hoc probabimus, & Galeni auctoritate, & ratione. Galenus quàprimum (etſi ſibi ipſi videatur impar) dilucidè declarat libr. 3. de criſ. c. 4. his verbis, *Synochi quidem rarò eueniunt, & vbi nullus ſit error, in quarto finiuntur per criſim, natura propriis circuitibus ad criſim perueniente.* Si igitur natura propriis circuitibus ad criſim peruenit, ergo fluxiones fiunt, quæ neceſſariò illorum circuituum ſunt efficientes cauſſæ. nam

à particulari aliqua fluxione ad larem putredinis perueniente: quæ dum putreſcit, etiam & particularis periodi fit auctor.

Ratio, qua demonſtramus & ſynochos fluxione conſtare, petitur ex Galeni methodo, dum enim ipſe cunctarum febrium putridarum eſſentiam deſcripſerit, affectus connexos dinumerarit, curationē iugiter genericam replicarit, vnam ac ſingularem omnium ſtatuit regulam, vnicam pariter deſcripſit methodum. Si igitur vnica omnium idea, ergo & in ſynochis, cauſſa illa obſtructionis, affluxus fiens ſanguinis; qui ceu futurus morbus, propulſandus, vti obſtructio facta curanda. neque indicat ille primus, qui primum exortum tribuit obſtructioni, quia cum abditus, & occultus Medico, huic præuidere ne lubet ſanè.

Dicet forſan quis, qua ratione in ſynocho affluxus per vniuerſale principij tempus, cùm triplex eius ſpecies vnica tantum fruatur acceſſione, quarto die ſuum terminum claudente? quid quod & differentiarum eius, altera accreſcēs, altera decreſcens ſemper, tertia mox eundem tenorem ſeruans? ſi enim affluxus eſſet, nec illa eſſet decreſcens, neque hæc eundem tenorem ſeruaſſet, imò fluxionis ratione, vtraque differentia ſemper eſſet accreſcens, & ita omnes eandem haberēt ideam, eundéque ſeruarent typum. Hanc opinionem luſtrat idem Gal. lib. 3. de criſ. c. 4. cum apertè ſcribat, ſynochis nullo modo acceſſionum circuitus euenire, cum tamen feb. aliis, vel per tertium, vel per ſingulos dies iidem eueniant.

Satisfaciemus his cum Galeno lib. 3. de diebus decret. c. 8, dicentes, reuera ſynochis adeſſe circuitus,

verùm

verùm hos haudquaquam manifeſtos, vt reliquis febrium putridarum differentiis manifeſti apparẽt. occultatur enim in illis omnis circuitus idea, obtypum manifeſtum earum ſpecierum, cum alia harũ ſemper appareat decreſcẽs, alia ſemper accreſcens, alia denique eundem ſeruans tenorem. neque hæc propter defectum fluxionis per vniuerſale tempus, àc reliquum, contingere cenſendum: cum formalẽ rationem habeant, teſtante Gal. lib. 9. meth. c. 2. & 3. ex maiori, vel minori ſtipatione, tum ex maiori, vel minori feruentium humorũ tranſpiratu. accreſcunt enim, quæ ob maiorem ſtipationem, feruentiũ humorum minor fit tranſpiratus: decreſcũt, quæ contrà ſe habent: eundem tenorem ſeruant, quæ medio modo ſe habẽt in ſtipatione, ac tranſpiratu. Quare ex his eluceſcet, nullã eſſe apud Gal. diſparilitatem, cùm reuerà circuitibus fruantur ſynochi, abditis tamen, & occultis, ob harum febrium varias illas ideas, ac diſpares typos, ſenſus autem iudicio vna acceſſio omnium, ab initio ad finem vſque perpetuò manẽs, etiam in multos dies porrecta. Si igitur circuitus (etſi occulti;) ergo & affluxus. neque fas, generata obſtructione in variis illis ac amplis vaſis, quę inter inguina ſunt pręſertim & alas, nullus fiat, ex aliis partib. & minorib. vaſis nõ obſtructis, affluxus, etiam concitatus à vehementi calore, in putredinis lare exiſtente. neque rurſus fas, etiam in hac plenitudine ad vaſa, omnia ipſa, ita æquè repleta, vt nullũ ſanè valeãt acceſsũ humoris recipere: extingueretur enim illicò calor, antequã perueniſſet ad aliquã huius febris ſpeciẽ generadã, plenitudo illa.

Denique & altero Galeni loco idẽ oſtẽdimus, hic itaq. li. 11. meth. c. 4. dũ inquirit cauſſas putredinis in

ſynochis,& eius curationem:putredinis vnicam aſſignat cauſſam prohibitam tranſpirationem, huius autem & alteram,dum infit, *At verò qui fieri poteſt, vt illæ*, videlicet tranſpirationes,*per totum animal ſiſtantur,niſi vel finibus vaſorum ſtipatis, vel tota cute? Porrò accidere in finibus vaſorum ſtipatio poteſt,vel ex vehementi extrinſecus refrigeratione, vel ex ſuccorum, qui extrorſum in ipſis confertim ruerint,craßitudine,multitudine,vel lentitie.* Quare ſi alteram aſſignat prohibitæ tranſpirationis in ſynochis cauſſam,ſuccos ſcilicet,extrorſum in ipſis vaſis confertim ruentes. ergo concedendus fluxus in ſynochis, in quibus ineſt maxima plenitudo, ex vna parte ad alteram, ex vaſis inquam minoribus,ad maiora & capaciora, ibíque confertim farctus ſanguis ſua multitudine, lentore, aut craſſitie, maximas parere in amplis vaſis,ac plurimas obſtructiones;putredinis itidem,ac febris cauſſas. neque hic affluxus autumandum ſiſti, obortis iam obſtructionibus,cum neceſſario, & poſt factas partes, fientes per aliquod tempus perſeuerent, cum ſuccos ad ſe quaſi forti manu etiam arripiat intenſiſſimus calor, in putredinis lare accenſus,tum cedant vaſa magna,fluxioni ad ipſa impetum ducenti.

Rem omnem ſub vltimo concludamus iam carcere, ſi in omni putrida febri eſt fiens obſtructio, ſeu fluxus impetum ducens ad obſtructionis locum,vt luce meridiana clarius eſt,neceſſariò & erit indicatio reuulſionis,quæ fluxum illum compeſcat, ac ad partem oppoſitam retrahat,ac recellat.

Conuel-

Conuelluntur quædam, quæ Nouatores aduerſus prædictam doctrinam nobis temerè obtrudunt.

CAP. XV.

CVm quorundam ingenia adeò procacia ſint, vt nuſquam acquieſcant, nuſquam veriori doctrinæ litent, paradoxa ſẽper inſectentur ſẽpérq. ſeu mõſtroſa Africa nobis noui aliquid aſportẽt: huius cõditionis occurrit modò Horatius Augenius, qui tũ in epiſtolis, quas agreſtè Medicinales inſcripſit, tũ in altero Dedalęo opere de ſãguinis miſſione, plurima, aduerſus ſolidiſſimam de reuulſione doctrinam in febribus put. garrit. & tanquam curſor in plateis clamitat, etiam & quod iam alij deprauatè priùs imaginarunt. Nam nec fluxionem per totum principij vniuerſale tempus, neque reuulſionem admittit eiuſdem in febribus putridis, quod ſi in his mittendus ſanguis, plenitudine tantum adſtante, & vt eandem vacuemus, arbitratur. In huius viri manus fortè, ac inopinatè incidi, & Dei clementia liber euaſi, cùm ab eius doctrina abhorream valdè. Hunc audiamus, falſam doctrinam exploremus, vt ab eius redimamur cauillis, liberemur ſtrophis. Hic itaque lib. 5. de venæ ſect. cap. 14. nullum in putridis febribus reperiri affectum reuulſionem indicantem oſcitanter ſcribit, demptis febribus ab inflammatione ortis, quas aliqui non putridas, ſed ex putredine potiùs nominant eaſdem. comprobat hanc opinionem, inductione à ſingulis febrium putridarum ſpeciebus petita. Inchoatur hanc à ſy-

nocho, cùm in hac nulla ſit pars, à qua reuellere fas, cùm in cunctis vaſis & plenitudo exiſtat, & per conſequens obſtructio, tum putredo. hinc Galenus lib. 9. Meth. ca. 5. in his pro vacuatione omnino ſuſcipiendam venæ ſectionem aſtruit. Ab harum febrium numero nihilominus excipit idem Augenius eas, quę in vteri vaſis putredinis habēt focum. nam in his ſynochis fluxionem quidem admittit, & hâc reuulſionē indicantē, & per venę ſectionem. in reliquis, ob ſolam plenitudinem mittendus ſanguis, cum nullus fluxus. hic enim ſi adeſſet, haudquaquam plenitudinem expectaremus ad recellendum illum, cùm ſolus iſte ſufficiens ad huius auxilii deliberationem.

Cœterùm demiror, ſi mirari Philoſopho viro fas hunc virum, doctum ſanè, cum tot verbis, tanta, tàmque faſtidioſa verborum ambage (ne loquacitate dicā) rem hanc ex inſtituto replicarit, demonſtratiuis aliquibus rationibus, dialecticis ſaltem ac probabilibus, cardinem huius quæſtionis non luſtrarit. verum legiſlatorum more, nobis credendā eius paradoxam opinionem refert, proponit. Quod ſi vim eius inductionis obſeruemus, riſum meretur. Hæc enim, de hac, vel altera ſpecie ne demonſtrat quicquam: imò, quod magis, ſi verba æſtimemus, ſibimetipſi impar. Rurſus ratio illa, qua probat fluxionem in ſynochis nullam, quia in his, cū totum corpus plenum, neque fas ad peculiarem aliquam partem influxus, nihil concludit. quia falſum medium ſibi aſſumit. impoſſibile enim omnes venas æquè plenas, ac ſingulas cuiuſque partes diſtentas; ſuffocaretur enim neceſſariò, ac illicò, eius natiuus calor, & antequam ad tantam molem perueniſſet,

ægrotaſſet vtique, vt ne ſanguis quidē augeretur ad plenitudinē illam. Admittendus igitur fluxus in ſynochis, vt ſuprà exactè oſtendimus. Neque obſtat Galeni teſtimonium ex lib. 11. meth. c. 5. venę ſectionē omnino in ſynochis pro vacuatione ſumi; quia hoc innuit, ceu pręſtantior multò ſcopus, ac vrgentior: plenitudo enim in ipſis totius mali cauſſa, quæ vacuationē indicat: fluxio minor, nec effatu digna; hinc nec ęſtimāda: verum nec reſpuēda à ſynochis.

Porrò ſi fluxionē admittit in putrida ſynocho in vteri vaſis oborta, cur eandem pariter non cōcedit in reliquis, aut ſaltem in cunctis putridis febribus, in quibus putredinis particularis eſt focus, particularis & obſtructio? Rationis huius momentum æſtimet amabò Augenius. Si igitur fluxus in illa, & vt ipſe iugiter ſentit reuulſionem indicans per venæ ſectionem, cur & hanc eandem in reliquis non indicabit? Aut nobiſcum ſentiat ipſe, aut rationem aſſignet, vt credamus. rationē vllā cōgruam ac probabilē ne aſſignabit quidem vnquam. Ceſſet igitur garrire, & victus victorię litet, nobiſque det herbā.

Denique fluxionem, in febribus ab inflāmatione, adeſſe fatetur, eandem ceruicosè negat in aliis. verū aſſignet nobis quęnam maior ratio, cum ęquè vtrique materiales morbi. & ab eadem materie, vtrique ſuo fruantur termino, hoc ſolo intercedente diſcrimine, quod in putridis feb. lar putredinis intra vaſa, & hic terminus: in ſyſtrophicis inflammationib. extra, aut ſaltem in exiguis, ac capillaribus venis. ob quam rationem hæc febris haudquaquam putrida appellatur, ſed ex putredine: cum in hac fuligines putridæ ad cor non aſcēdant, ſed calor præter naturā in parte illa inflāmatione obſeſſa cōmunicatur viciniori parti, & continui ratione per arterias,

& venas fertur quidem ad cor,& febris iugiter accenditur.in putridis autem,quia vaſa ſunt capacia, in quibus putrent humores, per eadem vaſa cordi communia fuligines à putredine elatæ,ad idem cor deferuntur, eius calorem natiuum mox in igneum conuertunt.febris formalis ratio.

Cum itaque ipſi in tenebris ſedeant, dum plenitudinem ad venæ ſectionem ſemper aſſiſtat, arbitrentur, hinc impudenter in febribus fluxionē dedegant,illúdque tantum fatētur, quòd eorum propoſito tantum conſentaneum,veriti, vt dicebat de Chryſippo Galenus lib.5.de Hipp. & Plat. decret.c. 5.ne contraria apertè euidentibus aſſerere videantur.

Eſt præterea & alter nouus Controuerſor,& Augenij aſſecla,Syluaticus inquam, qui controuerſia 44.quibuſdam Galeni locis, perperam traditis, & ratiunculis quibuſdam vacuis,ac inanibus, eandem doctrinam de fluxione & reuulſione in febribus euertere pręſumit. Galenum lib.2. de feb. diff.ca.15. ſic fantem introducit, *Circuitus acceſsionum in febribus fieri ex diſpoſitione membrorum: quando hæc vel mittunt vel ſuſcipiunt,vel generant,vel attrahunt ſuperfluitates. in febribus autem carentibus circuitibus,cum nulla ſit pars præcipuè offenſa,abſūt illæ cauſſæ,ſed tantum,qui in venis,& arteriis continentur humores illarum cauſſæ exiſtunt.* Hactnnus Syluaticus. Ex quo loco ipſe concludit ſaltem febres quæ circuitibus carent,fluxione itidem carere.

Verum enim verò ſi Galeni inſtitutum æſtimaſſet ipſe,longè quidem ſentiret. eo enim loco Galenus non rimatur fluxionis vniuerſalis morbum conſtituentis cauſſam,quę potiſſimum terminatur

ſub

ſub prĩcipij carcere,ſed quę priuatos pariũt circuitus. qui cũ non ſolũ accidant per vniuerſale morbi principiũ, ſed omnia percurrãt eiuſdem morbi tẽpora, peculiari nihilominus fruentur cauſſa, & ab altera diuerſa. quid ꝙ & reuulſio debetur in principio, & ferè cũctis illis differentiis, cõpeſcẽda enim omni arte eſt fluxio, ſiue mittatur humor à membri diſpoſitione, vel fluens ſuſcipiatur, vel denique attrahatur. Quare elumbis Syluatici ratio.

Deinceps & alterum refert Galeni teſtimonium ex lib. 11. meth. ca. 4. deſumptum, quo loco cum tradat quarundam febrium generationis modum, cum Galeno iiſdem etiam & Syluaticus fluxionem admittit, in ortu tamen earum, ceſſare autem ſtatim exorta iam febri: vnde cum nullus, nec compeſcendi adeſt ſcopus. hócque demonſtrat certa quadam analogia fluminum.

Reapſe verum hoc loco Galenum concedere hanc fluxionem in febribus: ergo negat alteram per totum principium procedentem. Vana concluſio. Analogia potiùs noſtras tuetur partes. quamuis enim ſi obſtruatur flumen, aut lignis, aut pariete, aut aliâs, & aquæ rei obſtruenti vicinæ ne moueantur quidem, remorato earum curſu, verùm verſus ſuam originem & mouebuntur, & fluent adhuc. Simili pariter ratione, etſi in obſtructionis loco, non ſolùm ſucci obſtruentes, verùm & coniuncti quieſcant, verùm verſus partes diſtantiores, & fluxionum principia adhuc continuatur motus, etiam facta iam obſtructione. neque putandum omnia vaſa ita repleta, vt fluxioni nouæ non cedant, cum & quæ tranſmittũt, prius inania ſint oporteat, vt ab aliis partibus confluẽtes ſuccos recipere valeãt.

Tandem,& quidpiam aliud abſurdum retur,cuique viro docto omnino indignum. data inquit,nō conceſſa fluxione ex multitudine, huic vacuationem potiùs, haudquaquam reuulſionem deberi inſinuat.Quod quàm falſum,liquet facilè demonſtrare.Reuulſionis indicatio, vt fatentur omnes,à motu humorum elicitur: vti vacuatio à multitudine: quæ ſi connectantur,connectentur pariter & indicationes. Quare reuellemus ob motum, vacuabimus ob multitudinem, & cum vtraque indicatio vrgeat in febribus putr. nec ſimpliciter reuellendum, vnde nec longinquæ quærendæ partes: nec ſimpliciter vacuandum, vnde nec coniunctæ: imò propter reuulſionem oppoſitionem quærimus, propter vacuationem moderatam diſtantiam, cum vtraque rectitudine. non igitur in febribus put. ex pedibus reuellendum: quia reuulſionem cum vacuatione intendimus: hæc reſpicit terminum,ſeu partem ad quam humor fluit.Cogimur itaque coniugem aperire venam, quæ directò laboranti parti reſpondeat, vt reuellamus fluentam, & vacuemus fluxum,& contentum.

Admittimus tamen Syluatico non omnes fluxiones reuulſionem indicare, vt ipſe exemplis demonſtrat:quòd ſi fortè indicent non illicò reuellendæ.Verum, ſi ex his infert, ergo febrium fluxio,de qua nobis eſt ſermo,non eſt reuellenda.negabimus conſequentiam: quia hæc fluxio non æſtimatur vt ſymptoma,verum vt morbi efficiens cauſſa,& huic neceſſariò prouidendum. & cum morbi omnes, ceu res præter naturam per communem indicationem ſui ablationem indicent, & tanto citius, quãto fuerint magni,& acuti:cúmque hi tolli nequeãt

perſe-

perſeuerante cauſſa:hinc,ex vi methodi, quamprimum,ac illicò ei prouidere impellimur,ne ampliùs aut generet,aut affectum augeat. qua de cauſſa conſultiſſimus Galenus citato ſæpiùs loco lib. 11.meth. cap.15. cunctis febribus putridis ſanguinem ab initio hauriendum eſſe, lege ſanxit.illud idem ſeruandum cenſet & Paullus lib.2.cap.18.Oribaſius lib.6. ſynopſ.ca.8.tùm & reliqui omnes ferè Græci, quorum doctrinam, ceu nitidiorem ac veriorem nos vnicè amplectimur, cæteris aliis omnino poſtpoſitis. Proinde autem Græci hi,præter Galenum,nullam fecerint indicationum mentionem, vti nec reuulſionis in febribus: quæritur hoc, ex Galeni methodo,ceu certiſſimum, iam ſupponunt.Abeat igitur Syluaticus iſte cum ſua noua cõtrouerſia, cum melius illi in ſylua tacuiſſet,quàm in vrbe errorum ac falſorum dogmatum præconem fieri.

Aduerſariorum diluuntur argumenta,quibus in febribus putridis, ob ſolam vacuationem ſanguinem hauriendum eſſe contendunt.

CAP. XVI.

HÆmaphoborum illa prædicta opinio, quæ neglecto reuulſionis ſcopo, ob ſolam vacuationem venas ſcindere in febribus putridis imperat, adeo vacua, & vmbratilis, quòd eorum argumenta haudquaquam ſolutione digna, meritò arbitremur. verùm cum quibuſdam ingeniolis poterant eſſe in ſcandalũ, proinde eadem infirmare

modò non grauabimur. Galeni illa teſtimonia, quæ perperam ad ſtruendam eorum fidem, deſcribunt, vnico flatu diſſoluemus, concedentes etiam libenter cum Galeno, & ob vacuationem in putridis hauriendus ſanguis, vt à ſarcina leuetur natura, & maior vitioſi ſucci pars emittatur: nec tamen proindè ob reuulſionis ſcopum, idem remedium è medio tollit. Vſus autem fuit Galenus eo dicendi genere, ob duplicem potiſſimum rationem, alteram, quia cùm omnium febrium put. curandi methodum tradat, & ſynocharum exemplo eandem luſtret, in quibus vacuationis vrget ſcopus, ob plethoram morbi cauſſam, proinde præſertim vacuationis, & exonerationis naturæ meminit ipſe. vnde lib. nono method. cap. 11. ſcripſit, quod in morbis, in quibus multitudo vires premit, & vaſa diſtendit ſanguinis miſſio vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna. Alteram mox, quia reuulſio etiam ſub vacuationis nomine compre-henditur, imò & vacuatio aliquandò à Galeno appellatur lib. 13. method. cap. 6. non ſolum, quia vacuando reuellimus, & reuellendo vacuamus: ablata namque materie, neque pars mandans mittit, neque recipit recipiens: verùm etiam, quia hac reuulſione, quæ per venæ ſciſſionem exercetur, plurima ex his captamus commoda, quæ ſimplex parat vacuatio. ſarcinam deponimus, plenitudinem tollimus, ſuccos qualitate inutiles minuimus, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Si enim plenitudo, aut vitioſi ſucci aliqua copia fluxionis fuerit cauſſa, tunc venæ ſectio per ſe reuellet, iuxta Medici ſcopum, cum retrahat motum humorem ad partem oppoſitam: per accidens autem dicitur illa, va-

la, vacuare plenitudinem, aut ſuccorum inutiliū copiam, extra ſcilicet Medici ſcopum, intendentis tunc tantum reuellere. Sed & cùm eâdem reuulſione impedimus humorum curſum, valentem in priuata particula naturam grauare, tunc per accidens iſtud reuulſio dicetur præſtare, naturam videlicet à futura ſarcina liberando. Quarè Galenum in tribus illis locis vtrumque ſcopum amplexum fuiſſe ſentimus, quamuis & à potiori ſignificato vacuationis rem denominet.

Rationes rurſus infirmabimus, & primam, ſi eius primam admittamus propoſitionem, & negemus alteram. Nam quis ſanæ mentis dicet vnquam, febrem putridam, quæ quatuor in ſua eſſentia pręſertim includit affectus, obſtructionem, prohibitum tranſpiratum, putredinem, intemperiem calidam, ſeu febrim, morbum eſſe toti corpori communem? Obſtructio enim priuatum habet locum in quo exiſtat, vaſa inter inguina & alas ſynochæ, ex Galeno lib. 11. meth. cap. 4. vaſa hepatis, aut huic vicina tertianæ, vaſa lienis quartanæ, vti ventriculi aut meſenterij quotidianæ. quare à primo ad vltimum, cùm obſtructionis certus ac peculiaris ſit locus, & hæc cauſſa tranſpirari prohibiti, vbi obſtructio, neceſſariò & eius germen & ſymptoma, prohibita ventilatio. Porrò, & cùm hæc putredinis ſit efficiens cauſſa, nihilominus & ibidem exiſtet putredo: quæ demique cùm febrem ipſa germinet, ſubiectiuè ſeu materialiter, vt cum Logicis ita loquamur, vbi putredo, ibi ſubiectiuè, & materialiter febris. Non igitur verum ſimpliciter febrem, ſeu collectiuè morbum eſſe toti corpori communem: quamuis formaliter verum, quatenus accipimus fe-

brim pro calore accenſo in corde, & per totum corpus diſperſo. quæ vltima pars, etiam vltimò curatur in therapeutica methodo. Quamobrem cum omnes illi affectus, quos nuper indiximus, peculiarem habeant ſedem, ab ipſa, optima methodo reuellendum, quatenus ſuas partes habent fientes.

Secundi argumenti diſtinguemus primam propoſitionem. nam vacuatio, & reuulſio duplicem in ſe continēt ſcopū; aut reſpectāt morbū iā actu exiſtentem, aut futurum: rurſus & qui actu exiſtit, aut partes habet factas & fientes, aut tantum factas; fienti parti præuiſio, & ſi hæc fluxus ſit compeſcatio & reuulſio: factæ vacuatio, miſtis miſta pariter ſanatio. Morbo itaque actu exiſtente ſimplex debetur reuulſio per partem quæ fiens eſt, & ſimplex vacuatio per alteram quæ facta. nec vtrumque iubet exercere hauriendo ſanguinem alternatis diebus, niſi morbus fuerit chronicus, & citra periculum, aut vires ad eius vſum non ſufficiāt, vt quādo per epicraſim ſanamus. in morbis autem acutis, aut dum vrget aliquod ſymptoma, adſtante itidem robore virium, non ſemel tantum eodem die, verū bis, ac ter, ac amplius venas ſcindere iūs, vt in hæmorrhagiis videre eſt, vt ſimpliciter reuellamus, ne cum nectarei pabuli fluxu, vnà animam ægrotantes agant, aut morbus de nouo ingens increbreſcat. aut primarius augeatur. hanc methodum tradit Galen. lib. 5. meth. ca. 8. in ſputi ſanguinei curatione, & exemplo luſtrat ophtalmiæ, lib. de cur. rat. per venæ ſect. ca. 17. in ſuburbio enim Romę, cum ophtalmicum vidiſſet hora 5. quæ nobis 11. ante meridiem, ſub æquinoctiis reſpōdet, ſtatim eādem horā libras quinque ſanguinis hauſit: mox eodem die hora 9.

quæ nobis eſt 3.poſt meridiem, alteram librã. Quod igitur ad reuellendum in præſenti, actu vrgenti morbo conſulimus, idem ad vacuandum eôdem etiam præſente, vt videre eſt in maxima plethora, iã actu morbi cauſſa, ex qua ſimul aliquod vitæ imminet diſcrimen: hanc enim alternatis diebus vacuandã, ne ius, ſed affatim, & ſi fas eôdem die ad animi vſque deliquium, vt cum Hippocrate paſſim docet Galenus, præſertim libr.2. Apho.ſen.23. & 9. Meth. cap.4. In reuulſione autem futuri morbi licet & per interualla, & per longa itidem interſtitia aliquando reuellere, vt ita tutò futurum præcaueamus affectum. Febres itaque putridæ ſub priori ſtringuntur methodo. pars enim earum fiens, quæ clauditur principij vniuerſalis vltimo carcere quouſque videlicet, in vrina rudia quædam ſigna appareant coctionis, venæ ſectione compeſcenda, ac præcauenda; idque nec ſemel, aut bis præſtando, verum & decies, & vltrà, ſi poſtularit affectus, & vires fuerint robuſtæ. iteratis itaque vicibus iſtud præſtamus, propter acriſiam, & ferendi facilitatem: cum ſubitas ac magnas vacuationes natura non ferat, ex diuino Dictatore lib.2. Apho.ſen.51. Quare in cunctis febribus putridis, perſeuerante fluxu, ſaltem ſemel per ſingulos dies ſanguinem hauriemus; bis verò, ac ter maxima pariter exiſtẽte plenitudine ſuffocationem caloris moliente, aut minante, tum vrgente morbo acuto, celerrimo eius concitato motu, aut ſuperueniente ſymptomate aliquo hoſtili: tantum abeſt in his affectibus dies aliquot intercalemus. Galenus itaque citato lib. de venæ ſect. cap. 21. haudquaquam de hac reuulſione, q̃ morbis debetur actu exiſtẽtib. verũ de ſimplici,

quæ morbis futuris, ſermonem inſtituit. quod innuit itidem & eo vocabulo ſimpliciter, quo vſus ibi eſt: quaſi dicat in quibus ſimpliciter reuellere intendimus, citra vllam vrgentiam morbi alicuius actu exiſtentis, ſi vel duobus deinceps diebus fiat. quam interpretationem iugiter admittit Ferdinandus Mena com. in hoc cap. cum igitur iſta ſimplex reuulſio, quæ præuiſiua potius, febribus actu exiſtentibus non debeatur, hic Galeni locus aduerſariorum partes non tuetur.

Duplici via infringemus & tertiam, primò vniuerſam illorum argumentationem concedendo, cum ex præmiſſis concludat:Ergo Medici omnes in febrium put. curatione vacuare intendunt. quod libenter admittimus,ceu veriſſimum.verum quum rurſus inferant, ergo non reuellere, neganda cõſequentia: nã admiſſio vnius, non eſt expulſio alterius: cum vti intendunt multitudinem vacuare per venæ ſectionem, pari paſſu fluentem humorem reuellere per eandem. Hinc amplam, & latam imperant Medici in vaſe ſectionem, vt omnes æquè,tam tenues, quàm craſſi vacuentur humores.Satisfaciemus ſecundò,& primam propoſitionem negando, cum ad vtrumque munus vacuationis & reuulſionis imperanda ſit lata & ampla ſectio. vti enim ad vacuationem requiritur, vt valeant etiam & craſſi vacuari ſucci: ita ad reuulſionem, vt maximo cum impetu dimanante ſanguine & copia, maior itidem eiuſdem in vaſis concitetur motus, & vehementiùs verſus partem ſectam,relicta altera ſemita,retrahatur. quæ neceſſariò requirũtur ad efficacem & perfectam fluxus compeſcationem, & retractionem ad diuerſa; neque aliter commodè fieri ſit poſſibi-

le.

ſe, iuxta Galeni doctrinam lib. 9. method. cap. 11. fatur ipſe, *Ac in iis quidem miſsio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna : in aliis, ceu quod humorum vehementiorum impetum ad diuerſam partem reuocet* &c. Si igitur, reſpectiuè, ad illum præter naturam fluxum, vehementior concitandus fluxus verſus partem oppoſitam eius, ad quam fluebat, neceſſariò ad hunc vehementiorem impetum reuocandum, requiritur quod ſanguis maximè ac impetuosè moueatur, non mouebitur autem ita, niſi affatim, ac vberrimè, maxima aliqua ſanguinis concitata vacuatione eundem commoueamus: iſtud ſola conſequitur ampla, libera, & lata imperata inciſio. Puerile igitur, imò exectandum, quod quidã delicati doctores imperant chirurgis, non ſolum minimam inducant plagam, verum aſſiduè, & per minima interualla, fluente ſanguine, digitum vulneri imponant: vt ita æſtimentur, ceu rerum exquiſitarum inuentores; tanta eſt hominum calliditas, tanta verſutia. Si itaque tenuis & interpollata fuſio: qua ratione ad oppoſita recelletur fluxus, & iter, ab irritata natura aggreſſum reflectet, niſi & impetuoſiori, & concitatiori adhuc motu ducatur, cùm illa & quamminimum alteret, & parum nihilominus commoueat? Galenum ſibi aſſumunt, dum lib. de curandi rat. per venæ ſect. inquit, *Quin etiam reuulſio ipſa non leue exiſtens auxilium per ſanguinis quoque miſsionem ſæpius facta, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficacior fit.* Verum ſi Galenum per ipſummet interpretemur, illud, ſæpius facta & particulares detractiones in maiorem numerum auctæ, reuocandum non eſt ad minima illa interualla, verum ad

dierum ſpatia, vt exponit dilucidè paulò infrà ca. 21. dicens; *At in quibus reuellere conamur ſi vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit*: idem diffuſius adhuc lib. 4. de tuend. valet. cap. 8. Quare non momentanea cum illis, verùm longiora, dierum inquam, aut ſaltem multarum horarum, ſi vrget occaſio, requirit ipſe ad iterationes temporis interualla: horarum, inquam, ſi vires langueſcant, & reſolutus æger, vt inſinuat Galenus lib. 5. Meth. ca. 3. futilia igitur illa, & vana. Quamobrem, vt ad ſcopum redeamus, cùm in cunctis febribus put. mens nobis & reuellere, & vacuare, etiam per vtramque rationem lata inducenda plaga.

Quarta ratio, eâdem arte venit diſſoluenda cum ſuperiori, cùm & eôdem fruatur medio. quid quod & ambæ rationes ſi aliquid concluderent, potiſſimum aduerſus eos (ſi forſan darentur) qui in febribus reuulſionis ſcopũ tãtũ admiſiſſent. verũ nos nõ hũc tãtũ, ſed & alterũ vacuationis vnà amplectimur: proinde noſtrã hauddubiè non labefactãt ſentẽtiã.

Ad quintam reſpondebimus, primam propoſitionem admittendo; ſimpliciter negando alteram. nam ex Galeno, vt accuratè diximus, in cunctis putridis fiens eſt obſtructio, quæ cum eius eſſe in fluxione cõſiſtat, cõpẽſcationẽ proculdubiò indicabit.

Ad aſſumptionis probationem dicemus, & verã eſſe eius primã propoſitionem, & omni ex parte alteram falſam. nam quamuis Gal. lib. 11. meth. ca. 13. ſeptem dinumeret affectus, in putridis contentos, & ex his nullum explicitè reuulſionem indicare ibi affirmet: implicitè tamẽ, & formaliter, vt paullò ſuprà idem Gal. c. 10. iam dixerat, digito eũdem indicans. diuidit enim obſtructionem, & in duas ſecat

par-

partes, in fientem, & factam, illam reuulſionem indicare commonſtrat, vti hanc vacuationem: quã reuulſionẽ, cõmodiori, aut tutiori medio fieri poſſe in illarum principiis, nemo ſanę mentis ambigit. Abſurdè igitur Nouatores nullum eorum ſeptem affectuum reuulſionem indicare affirmant.

Ad Galeni locum de conſtitut. Art. Med. c. 19. libenter concedemus accuratè dixiſſe nullam maiorem, ac præcipuam fieri poſſe vacuationem, quam quæ per venarum ſectiones; quia hæc æquè, ac citò omnes humores plethoram conſtituentes tollit: tamen nec proinde negat, etiam citra plethoram eaſdem exercendas, cum & ſæpius alibi hoc idem ſit faſſus, vt iam ſuprà à nobis eſt abundè demonſtratum. Futilis itaque hæc eorum ratio, cùm vnum auxilium pluribus poſſit, etiam per diuerſos reſpectus, adaptari.

Solutioni demum, qua ipſi cuidam validiſſimæ rationi ſatisfacere conantur, reſpondebimus, dicendo, quòd illa fluxionum diuiſio à Nouatoribus tradita, manca, & fortè inepta: quia & rationi, & Galeno, ac vniuerſæ Medicorum ſcholæ reluctatur. Conſtituunt namque ipſi, & callidè (cum liceret ipſis, diſſimulatis iis, quæ euidenter apparent, illud fateri tantum, quod eorum erat conſentaneum propoſito) quatuor ſolummodò in putridis conſtituere fluxiones. neglecta altera, quæ ad curationem maximi momenti, & ex Galeno lib. de totius morbi temp. capite tertio, per totum vniuerſale principij tempus percurrit, per totum, inquam, cruditatis tempus, ad augmenti vſque primum carcerem, dum aliqua coctionis rudia ſanè apparent ſigna. Quid quod ſi quatuor

illas tantum ſibi cordi eſſet ſignare fluxiones, illarum primam cogeretur ſaltem in duas ſecare partes. Eſt enim in hac prima & factu quidpiam, quod de ratione formali morbi eſt, ceu affectus & res permanens, nullum eſſe habens in fieri, ſed in facto eſſe, quâ morbus. humor igitur fluxus eſt obſtructionis coniuncta cauſſa, nihil efficiens de nouo, ſed tantum conſeruationem. Rurſus & in hac prima fluxione eſt fiens quidpiam, quod etiam exiſtente iam actu morbo, ſeu obſtructione facta, adhuc perſeuerat, & eandem ceu morbum auget, & contumaciorem reddit; & hæc, vt diximus, ſub primo augmenti carcere terminatur: neque valet, eâdem percurrente, coctionem aggredi natura: quia teſtante Galeno lib. 4. de rat. vict. ſen. 44. & lib. de conſtit. Art. Med. cap. 19. coctio quietem requirit. fluente autem humore nulla fruitur quiete, cum concitetur ſemper de nouo, adueniente humore, impediatur, & alteretur, nec valeat quidem coctionem ipſam inchoare vllatenus: ipſâ verò abſolutâ, iam coctionem inchoat, humores inuadit, & incremento ſuam præbet originem: ſtatim prima quaſi rudimenta coctionis in vrina apparent, indicantia certò naturam iam coctionem eſſe regreſſam, & illam vniuerſalem fluxionem ceſſaſſe. Quod de hac loquatur Galenus lib. 11. meth. cap. 10. dum dicat, *At curabitur quidem, quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant, propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium ſuccorũ copeſcas, &c.* nemo eſt qui dubitet, cũ palàm obſtructionem ſecet in factã, & fientem: hancq; affluxũ obſtruentium ſuccorum nomi-

nat, quã compeſcatione propulſandam ſuadet: verùm & quòd hæc fiens obſtructio, quam affluxum obſtruentium ſuccorum vocat Galenus, nulla ratione ſub illa vacua Nouator. inquiſitione comprehendi queat, ſi ſcrutemur, conſtabit dilucidè. Inprimis haudquaquam ſub illa prima Nouatorum fluxionis differẽtia, cum hæc imperceptibilis, cum actu adhuc actiones non lædat, per quarum læſionem accedimus ad cognitionem genericam morbi. cum igitur fluxus ille cauſſa efficiens ſit iam iam futuri morbi, & ceſſet ipſo genito, vt fabulãtur ipſi, hinc, ceu abditus nobis, ne indicare quicquam valet. Quomodo enim indicabit, cum non percipiatur an ſit? quando autem manifeſtatur, iam morbus partes factas habet, per quas manifeſtò lædit actiones, & tunc altera miſta, cùm prophylactica curatio locum habet, vt perdoctè luſtrat Galenus lib. 11. meth. c. 2. dicens, *Earum verò*, ſcilicet febrium, *quæ exputreſcentib. excitantur humoribus vocata curatio, θεραπευτικὴν quoque ſibi adiunxit, cuius officium eſt cauſſam, quæ morbum creat, adimere. Sanè nominatur hæc ipſa quoque artis pars, curatrix, quæ vtique ab ea quæ purè ſyncereque prophylactice dicitur, in eo diſtincta eſt, quod ſub hac iam ſenſibiliter ex ipſa cauſſa morbus eſt genitus, in prophylactice verò eſt futurus.* Prioribus illis præſertim verbis, Galenus innuit palàm, curationem febrium putridarum duplici parte conſtare, non ſolum prophylactica, quæ adimit cauſſam actu efficientem, verum & altera propriè curatiua, quæ morbum iam genitum, & actu exiſtentem tollit. qua miſta curatione tenetur Medicus vti in febrium putridarum curatione. vti in inflammationibus fatentur Nouatores: quia vtriq;

affectus fluxione participant, etiam poſt genitum ipſum morbum.

Præterea nec ſub altera continebitur fluxione, quia hæc priuatis paroxyſmis materiem tantum præbet, neque ceu minima portio, aut obſtructionem auget, aut fouet, verum ſingulares creat paroxyſmos, arrepta putredine ex lare, & quantum hæc combuſtibilis priuata materies perdurat, tantum itidem ſingularis quæque acceſſio in intermittentibus, & exacerbatio in continuis protrahitur. in illis per habitum ducitur corporis, in his intra vaſa ſeruatur. Cæterum cùm fluxio illa, de qua nos cum Galeno loquimur, operetur diuerſa, ab ipſa Nouatorum; cum obſtructionem illa generet, generatam augeat, & auctam foueat: per quas rationes herclè à Galeno fiens vocatur obſtructio, quaſi potentiâ proximâ obſtructio, cum & in hanc conuertatur, hanc diſtinctiſſimam ab altera eſſe, ſerio arbitramur. Et cum hæc, quam nos cum Galeno ſtatuimus, per totum vniuerſale principij tempus percurrat, accuratè venit compeſcenda, etiam ſub tota huius temporis latitudine, & venæ ſectione. quod auxilium duo præſtat munera, vnde præſtās & fluxionem illam ſiſtit, quod eſt prophylacticū, & naturam leuat à ſarcina dum coniunctam ſimul materiem tollit, quod eſt itidem curatiuum. quib. fruēs beneficiis natura facilius multo, ac citius coctionem aggreditur humorum. Altera verò Nouatorum fluxio, cùm priuata ſit, & minor, per totam febrium put. conſtitutionem perſeuerans, cuncta vniuerſalia quatuor percurrens tempora, etiam & ferè iam reſerata obſtructione, nequit vlla ratione compeſci, quin & ſimul vniuerſa morbi cōſtitutio finia-

finiatur. quod ſi huius ratione fas venam ſecare, id non tantum in principio ius, verum in incremento, ſtatu, ac ipſa etiam declinatione, cum ſemper adſit, per hæc tempora præſens. quæ cum ſint abſurda, neceſſariò dicendum Galenum loqui de fluxione fiente, quæ poteſtate proxima obſtructio eſt, & vniuerſum morbi principium luſtrat.

Quod ſi illi dicant, iſtud tãtum vnum in inflammationibus. Nos cum Galeno lib. 4. meth. capite 6. reſpondebimus, quod inflammationum, & febrium curandarum eadem methodus: quia in vtriſque iidem ſcopi. & proinde in vtriſque & reuellere, & vacuare impellimur.

Tandem de tertia, & quarta fluxione non eſt, quod loquamur modò, cum iſtæ terminum habeant à quo, illum idem, qui Galeno eſt ad quem. recedit enim in his fluxionibus humor ab ipſa obſtructione: in altera autem confluit potius ad eandem. vnde tantum abeſt compeſcendas eſſe, quod ſæpè eaſdem teneamur iuuare. Quamobrem ex his liquet, quàm vana, quámque futilis ſit Nouatorum opinio, quámque elumbes, ac vacuæ eorundem rationes. Rurſus quod fluxio illa, ſeu fiens obſtructio compeſcenda ſanè, illáque tutiori, citiori, ac efficaciori auxilio venæ ſectionis retrahenda. quod nec in corpore aliquam requirit præuiam diſpoſitionem, vt inſinuauit palàm Galenus lib. 11. meth. capite 15. dicens, *Qui febricitant, ſi valentes viribus ſint: omnibus ſanguinem ab initio mittes.* neque aliò ab initio, quia cum tunc fluxio vrgeat, citò compeſcamus, & incrementum obſtructionis præcaueamus, oportet quod nullum præſtantius

adimplet auxilium, ipſa venæ ſectione, neque citius,neque ſecurius.

Infringuntur ſolutiones Augenij quorundam argumentorum, fluxionem admittentium in cunctis putridis febribus,& hanc venæ ſectione reuellendam.

Cap. XVII.

QVamuis ex dictis fluxionem in febribus neceſſariò admittendam, arbitremur, reiecta barbara Nouatorum opinione, & hanc venæ ſectione ſeriò reuellendam: tamen cum infenſus Augenius hanc doctrinam omni arte euertere intendat:proinde nos eidem obſiſtere pari paſſu contendimus. & quamuis annoſa vulpes laqueo non capiatur,ſperamus in venatu perire,&cũ Plat.in Theæteto fateri à ratione capi,& nos cum Plauto in Epidico ſimul acclamare, *iam cautor ipſe captus eſt.* Hic itaque lib.5.de cur.rat.per venæ ſect.cap.14.neſcio quo fato,quod prius per immenſum illud eius opus negauerat, rei certè veritate conuictus, & bis eodem capite,& ſemel infrà lib.6.ca.5.eiuſdem diſputationis,fluxionẽ hanc, de qua nobis nunc quæſtio,reperiri in febrib. palàm fatetur, tum in ſpecie in febribus ſynochis,ſedẽ in vteri vaſis habentibus, à quo forte loco Syluaticus eam, quam ſuprà retulimus eius opinionem libauit, tum etiam in genere, quando ſibi cordi erat diruere illam, quam nos primam in ordine præfiximus ſuprà rationem.Huius argumenti primam propoſitionem libenter admittit,etiam ſimpliciter, in cunctis ſcilicet put.febribus adeſſe fluxionem : reſpuit tamen hanc venæ

ſectio-

ſectione recellendam. Verum verba lubet recenſere, quibus hanc doctrinam infringit, vt melius eius errores cunctis innoteſcant, *Affluxum*, inquit, *humorum impediri propriè iis, quæ cauſſam affluxus è medio tollunt, variáque remedia conuenire pro illarum varietate, & afficiendi modo. Ponito acrimoniam, aut dolorem, aut multitudinem, aut cacochymia in cauſſa eſſe: tunc refrigerantia, mitigantia, vacuantia impedient: atque inter ea quæ vacuant inedia, victus tenuis, clyſteris vſus, purgatio, venæ ſectio poſſunt adminiſtrari. In putridis porrò ſi ſanguinis multitudo efficiat obſtructionem, venæ ſectio vacuando proderit: ſi alij humores à ſanguinis natura diſtincti, purgatio ſanabit. Ob hanc rem Galenus nunquam dixit, hunc affluxum venæ ſectione remoueri, ſed ſolum vacuationem fore neceſſariam, anteaquam ad detergendas obſtructiones veniamus.* Hactenus Augenius.

Multiplici nomine dialogiſta hîc errat. in primis ſibimetipſi impar, cum fluxum hoc loco admittat in febribus: quo poſito, ex conceſſis ab eodem Augenio li. 7. de ſang. miſſ. c. 7. & 8. & reuulſio pariter concedenda, ceu legitimum illius indicatum. in febribus igitur & reuellendum, & vacuandum per venæ ſectionem. quod viriliter ipſe, ac perperam negat. Videat quam oporteat mendacem eſſe memorem; nam quod antea negauit, hîc tanquam ſui immemor aſtruit mox. Neque valet refugium, ſi fortè dicat, ſe loqui de affluxu morbi principio: quia hic, cum, orto morbo illicò ceſſet, & iā facto, & vnà quamprimum nobis eo innoteſcente, ſtatim terminetur, nihil indicat ſanè. cauſſæ enim, quæ iā ſuum non producunt effectum, nec præuiſionē indicant: illæ inſidianter ſuos producunt effectus, &

quando nobis obuiam fiunt ab operatione iam deſiſtunt(ex illorum opinione). Quare & dũ operantur, ceu nobis abditæ, nulla ab his indicatio: & multò minus, dum actio earum iam ceſſauit. Porrò & turpis lapſus, cum admittat fluxum in febribus,& hunc tantum compeſcendum cenſeat, eiuſdem ablata cauſſa. Nam in fluxione duo potiſſimum conſideramus, non ſolum eius cauſſam,ſeu principium cauſſæ morbi,verum etiam & humoris fluentis motum:ſic in eâdem fluxione & duplex requiritur indicatio,altera à cauſſæ principio; quod ſi dolor indicat anodyna, ſi humoris acrimonia refrigerantia, ſi multitudo vacuantia. Altera rurſus à motu, qui compeſcationem,ſeu retractionem verſus partem oppoſitam indicat. vtrique indicanti neceſſariò & vnà occurrendum ſuo adęquato indicato,& tãto celerius, quanto vrgẽtior fuerit morbus.Vnde in maximis dolorib. nullũ prȩſtãtius nouit Gal.lib.1.Aph.ſẽ.23.remediũ,ea vacuatione,quæ ad lipothymiã vſq. fit:quod remediũ ſpirituũ,ac ſuccorũ motũ, quẽ dolor ille maximus parare cõtẽdit, reſpectat ſanè:nec proinde negligẽda anodyna, neque ipſis appoſitis negligẽda reuulſio.quid quod & ſępè mitigato dolore,adhuc perſeuerat inſuccis motus,impreſſa vi ab illo agẽte, vt in pauca pila videre eſt,ceſſante.n.ludente,adhuc per tẽpus aliquod agitatur pila,& aſtãtes ferit.vtriſq.igitur vnà prouidẽdũ.Hoc idẽ luſtrat Gal.lib.6.meth.ca. 2. & pũcturæ nerui exẽplo.cui affectui, doloris ratione anodyna præſcribit,& ne eius ratione cõcitetur phlegmõ venę ſectione pręcauet. Quare cõceſſo fluxu,neceſſariò & retractio admittenda: vnde & ipſe Augenius paſſim humorũ motui reuulſionẽ per venę ſectionẽ deberi affirmat:& ſi Gal.conſulamus lib. de cur.

rat.per venæ ſect.ca.4.etiã & cacochymorum. cum igitur hoc loco hunc admittat fluxum in febribus ad putredinis latem, neceſſariò & hic per ſe cópeſcationem indicabit per reuulſiuam venæ ſectioné: quia affectus magnus, magno indigéte auxilio:neque illa quæ cauſſę principio occurrunt per ſe reuellentia,ſed tantùm per accidens,cùm præuideant principio operanti. Verùm ſi in vnum conueniant, reſpectu auxilij,& cauſæ principium,& affectus ſeu morbi cauſa,vt multitudo ſanguinis,& eius motus tunc per vtroſque reſpectus indicantium, ſeriò accingemur ad hoc auxilium deliberandum de vena ſecanda,vt códé ictu appoſitè duos interficiamus paſſeres.eo.n.auxilio & multitudiné, cauſſæ principiũ vacuabimus, & eiuſdé motũ,morbi cauſsã antecedéte retrahemus. Malè igitur Augenius in putridis ſi multitudo obſtructioné pariat, venæ ſectionem, quatenus tãtũ vacuat prodeſſe ſcribit.cũ in febri res diſtincta multitudo, & obſtructio,& diſparia iugiter indicant: illa vacuationem, hæc quatenus fiens retractionem, quatenus facta reſerationem.hoc curare eſt,illud præuidere.

Tãdé craſsè infert Augenius, nullibi Gal.apertis verbis literis mãdaſſe hũc ſuccorũ affluxũ per vniuerſale febriũ put.principiũ perdurãté,aut remouẽdũ venę ſectione,aut retrahẽdum.Nã,ſi ex plurimis Gal.locis, luce meridiana clarius cóſtat,venę ſectionẽ reuulſoriũ eſſe remediũ: quidquod & cũctis pręſtatius ad fluxiones cópeſcẽdas, vt paſſim libris pręſertim methodi, inflãmationum exéplo demóſtrat: rurſ⁹ cũ affluxũ hũc ſæpius itidé cócedat in febrib. loco aſſiduè citato lib.11.meth. & cópeſcẽdũ pariter ſimul ſcribat: cũ morbus ſit magnus, quo exactiori

medio, quóve maturiori ipſa venæ ſectione iſtud præſtabimus? eò præſertim, cum ſummis encomiis in omnium febrium putridarum curatione illud nobis Galenus commendet. Deinceps ipſo fluxu receſſo, multitudine iugiter vacuata commodè cum Galeno ad detergendas obſtructiones accedimus, haudquaquam antea: quia perſeuerante fluxu, vti multitudine non depleta, obſtructiones detergi nequeunt, cum ſemper adſit parata materies, illas valens de nouo tum generare, tum generatas augere. piaculum igitur, ſyrupos præſcribere ad factas obſtructiones ſoluendas, non ſedato ac reuulſo fluxu, vnà & multitudine vacuata. cum hi tantum abeſt illud præſtent, quod potius dum fluxiliores reddũt ſuccos, & nouas valent generare obſtructiones, & generatas augere. Deſcribendi itaque (attendant amabò veritatis cultores) non ſolum in vrinis apparentibus ſignis coctionis, verum etiam & perſeuerantibus: pluries prius, adinſtar magnitudinis morbi, & virium robur, ſanguine miſſo ad vtrumque illud munus. Sanguinis miſſio affluxum quempiam compeſcit apprimè, cauſſę principio conſulit, humorum acrimoniam attemperat, intemperiem calidam emendat, dolorem ſedat dum eius cauſſam recellit ac vacuat, multitudinem præ cæteris tollit, ſuccum etiam cacochymum maximo cum animalis commodo minuit, quid plura? cunctis igitur his beneficiis vnicè inter reliqua auxilia gaudet. præſtans itaque reuulſorium, & omni animi concitatione amplectendum. Abeat igitur bonis auibus, cũ ſuis figmentis Augenius, abeant & eius manes.

Cæterum, quamuis hoc auxilium ad humorum motum retrahendum tantoperè commendemus, ad

idem

idem munus purgationem non negligimus: reluctaremur etenim diuino Parenti Galeno, tum citatis lib.1. Aph.ſen.23.& 6.meth.c.2.tum alibi paſſim. Nam ſi humor motus, omnino à natura ſanguinis fuerit alienus, & naturæ iam in totum inutilis, ſi rurſus ſincerus & à reliquis ſeparatus, potiſſimùq; feratur extra vaſa, tumorem in aliqua corporis parte germinans, tunc purgatione potius eundem retrahemus, quàm venæ ſectione, etſi aliquando hæc ex vſu ſit. Proinde in exquiſiti eryſipelatis principio, vt refert ex Hipp. lib.de vlcer. c.5. Galenus lib. 4.meth.& lib.14.eiuſdem,cap.3. purgationem tantũ conſulit, neglecta venæ ſectione, non aliâs, quam quod ſincera bilis, à reliquis ſuccis ſeparata, & extra vaſa ducta. neque aliud ſentit Galenus libr.2. ad Glauc.ca. 1.dum & differentias tradit eryſipelatum, & exquiſiti ideam repræſentat, à tenui & ſincera bile cutem tantum depaſcente: in quo ius præbere cholagogum, vti in reliquis, cum ſanguinem bilioſum cauſſam habeant, potiùs venas ſecare. Hæc methodus haudquaquam ſeruanda, Hippocrate & Galeno teſtibus, in febrium put. curatione, quia, etſi cacochymus ſuccus, à ſanguine ſegregatus earum ſit cauſſa, ne educendus quidem in earum principio cathartico, cum adſint prohibentia iſtud auxilium: cruditas inprimis humorum, quorum coctionem catharticum requirit, fluxio quæ intra vaſa conſiſtit, & eorundem humorum in putredinis lare ſtipationem, cum ante vſum cathartici, fluida corpora, tam continentia, quàm contenta; facere prius oporteat, ex diuino dictatore libr. 2. Aphor. ſen. 9. Purgare itaque numquam in morborum principiis, niſi materia turgeat, rarò autem tur-

get, iuxta illud diuinum elogium lib. 1. Aph. ſen. 22. neque huic alterum reluctatur lib. 2. Apho. ſen. 29. conſcriptum, *In principiis morborum ſi quid tibi videtur mouendum moue.* nam mouendum ſemper in febribus per venæ ſectionem, per cathartica autem ſolum turgente materia, quod rarò, non vrgente, aut multa, non itidem maligna exiſtente: nam dictator iſte ſummus, & nouit vrgentiam, & multam materiem,& malignam, & tamen ſolius ὀργᾶν, ſeu concitatæ materiei, & irrequietæ mentionem fecit; quaſi hęc ſola in conſultationem veniat: multa autem, vrgens,& maligna commodè, ac tutò venæ ſectione tollatur, & retrahatur pariter vti & cacochymus ſuccus, dummodò vires adſint robuſtæ. his enim languesſcentibus ab vtroque ſanè cauendũ auxilio, aduocatis minoribus, clyſteribus, cucurbitis, inedia, ligaturis, frictionibus & aliis huiuſmodi. Proinde Galenus, nulla prius mentione facta venæ ſectionis in exquiſita tertiana ſananda, quia abeſt robur virium, dum de purgatione loquitur, ſic fatur libr. 1. ad Glauc. ca. 9. *Et ſi tibi coctionis ſigna monſtrantur, iam cum fiducia abſinthium potes exhibere.* quaſi innuat his verbis, ne catharticum ſanè propinandum in principiis febrium, etſi à ſinceto oriantur ſucco: quia tunc cruda materies: quid quod nec leuiſſimum purgans, quale abſinthium. Piaculum igitur, iuxta mentem horum Medicinæ Principium, in principiis morborum propinare cathartica: ſub quo principij nomine, etiam cum Hipp. incrementũ comprehendimus, imò nec clementiora purgantia, quibus hæc noſtra abundat ætas, vetuſtioribus incognita, largienda nec quia clementia, iuxta illorum mentem, admittenda, reſpuę-
da

da alia, quia vehementia: verũ quia cruda materies, & per conſequens non fluxilis, quia corpus nõ fluxile obſtrũctio contumax, vtile cum inutili permiſtum, natura aliò intenta. Et quamuis illa clementia, citra calorem, & minimam ſucci agitationem vacuent, reuellant, & naturã à ſarcina leuent, quod optandum ſanè in febribus, præſertim ab humore calido, tum in biliofis corporibus: prohibent tamẽ illa, quorũcũque horum medicamentorum vſum, cùm nulla tunc particularis occaſio, quæ maximè requiritur ad dexterum ac congruum vſum remediorum. neque admittenda illa diſtinctio barbara, qua infenſi iſti doctores, etiam & barbaris vtuntur vocabulis, in minoratiuam, & eradicatiuam purgationem. obſtat enim hauddubiè quãlibet horũ, illa prohibẽtia, quæ in principiis morborũ vrgent. Huius hæreſis fortaſſe auctor, aut ſaltem defenſor integerrimus Oddus de Oddis com. in lib. 1. Apho. in ſen. 22. quem Saluũs Sclanus æmulatur in eodem com. & alij plurimi, à quorum mente abhorreo valdè, ceu deteſtanda. hoc docet ratio, inſinuat eumethodus, replicat Hipp. commendat Gal. etiam vt nuper diximus; ſi enim abſinthium clementiſſimum purgans, ante ſeptimũ, carcer exquiſitæ tertianæ, quia cruda materies, etſi ſincerus, ac tenuis humor, largiri nefas, quare rhabarbarum, manna, caſſiæ pulpa, tamarindus. ô inſcitia! Verum & eſt altera fortè deteſtabilior opinio, eorũ inquam, qui cenſent, hæc ipſa purgantia propinãda potiùs in incremẽto, dũ aliqua, etſi rudia coctionis ſigna ſe offerunt, vt tollatur, inquiunt, portio illa victa, ne caſu iterũ recrudeſcat, perturbatis humorib. Quæ cõijcitur, nõ ſolũ quia vrgẽt pdicta nuper prohibẽtia,

verum & quia tunc natura coctioni intenta interpellanda non eſt, aut aliò reuocanda. coctio, inquit Hippocrates, & cum ipſo Galenus libr. 4. de rat. vict. ſen. 44. quietem requirit, quam tollit purgatio, cum vniuerſum corpus exagitet, humores permiſceat, ablegandа igitur. quid quod & naturā bene operantem tenetur Medicus ſeriò obſeruare, iuuare, & ſemper imitari. Porrò, quod non leue argumentum, innixum rationi, & experientia ſtabilitum, omnes vacuationes ſub his temporibus contingentes à natura molitæ ſemper hoſtiles, & vt ſignum, & vt cauſſa aliquando, etſi per accidens proficuæ, & rarò, ac laborioſè, & citra ſecuritatem. Qua igitur ratione Medicus Naturæ conſultus illas hoſtiles, periculis plenas, & ancipitis tentare audebit vacuationes? qua itidem ſeria relicta via, quā ægri ad ſalutis portum placidè, ac tutò perducuntur, ad inuiam illam ſemitam, aſperam, & incautam ſe conferunt? Reſipiſcant igitur amabò, & huius rationis collyrio iam oculorum albugo decidat, mox viſum recipiant, veritatem hanc colant. Sed tempus eſt ad noſtrum Augenium iam reuertamur.

Eſt & altera ſolutio, qua doctus Augenius ſecūdam infringit rationem. quę ſolutio à nobis ſic impugnatur. Augenio libenter cōcedimus in putredinis lare ſiue attractam, ſiue aliunde expulſam ſufficientem colligi materiem particularium acceſſionum cauſſam, quā ſæpè ex vicinioribus obſtructioni partibus confluxiſſe credimus: cúmque humores hi, priuatos hos paroxyſmos germinātes multi non ſint, neq; ex lōginquis partib. ad putredinis focū ferātur, hos retrahēdos non eſſe venæ ſectione, etiam

cum

cum ipſo fatemur. Quid quod & nihilominus ipſi aſſentimur, non licere quidem venas tūdere in priuatæ acceſſionis principio, quia eo tempore maximè concitatur natura, humores iugiter commouentur ac perturbantur, caloris natiui in centro retractio non minima. vnde ius eo tempore calorem hunc in centro inculcatum reuocare, vti & minimam illam fluxionem compeſcere, non venæ ſectione, verum ſolis frictionibus, ligaturis, ac cucurbitis. illa enim reuulſoria maiora, quietis tempus requirunt, apyrexiam ſi intermittant morbi, aut declinationem ſi continuò affligant, & ſuadente Galeno, & dictante ratione. Verum, cum præter hos fluxus, adſit & alter maximus, à primo morbi inſultu ad principium vſque incrementi protractus, qui totius conſtitutionis morbi antecedens, & mox coniuncta cauſſa, hunc neceſſariò, cum Galeno lib. 9. meth. cap. 10. vt idem fatetur Augenius, altera vehementiori reuulſione compeſcere itidem ius: nulla commodior, aut tutior ipſa venæ ſectione. Huius itaque fluxionis ratione, quæ in cunctis febribus put. per vniuerſale tempus inuenitur, venę ſectio eligitur, ceu reuellens auxilium. Reliqua, ex his quę nuper diximus in præcedenti ſolutione, innoteſcent.

Ad tertiam pro tertia ratione ſolutionem dicemus nos, & in febribus ex putredine ortis, ab inflammatione videlicet, tum in ſimpliciter putridis, quæ focum in vaſis ſeruant, & fluxionem adeſſe per totum vniuerſale morbi principium percurrentem, & hanc pariter reuulſionem indicare. quæ itidem magna cum ſit, & morbi magni parens, magnum nihilominus indicabit reuulſorium auxi-

Digitized by Google

lium quale inter cætera venæ ſectio & præſtantiùs, & tutius. hoc tamen intercedente diſcrimine, quod in ſimpliciter putridis, humores moti ſemper intra vaſa cōtinentur, & rariſſimè ſinceri fluunt, ſed vnà cū vniuerſa ſanguinis mole, & proinde ſemper venæ ſectio his ex vſu eſt. in putridis autem, ex inflāmatione, & ſucci extra vaſa feruūtur, & ſæpè ſinceri, quib. aliquando purgatio cōpetit: præſertim ſi huiuſmodi inflāmationes externæ fuerint, vt ſuprà iā ex Hipp. li. de vlceribus diximus, & Galeno & li. 4. meth. c. 5. & 14. c. 3. Verū hæc doctrina & cū ſale cōdienda. Nā Hipp. & cū ipſo Galenus li. 4. de rat. vict. ſen. 22. in inflāmationū principiis, maximè à medicamentorum purgantium abhorret vſu, cū tunc tēporis nec vllā vtilitatē adducant, & nō minima pariant incōmoda. Galenus autē in com. Hipp. declarās mentem, hæc infert, *Atque in eiſdem*, puta inflammationibus, *quibus & nunc ſymptomatis, rectè ad ſanguinis miſſionem propius deueniendum præcipit, vbi vitioſi aliqui humores in partem aliquam cōfluant, atque in ea aceruentur.* Et proinde idē Gal. com. 2. eiuſdē libri de vict. rat. ſen. 11. in ipſa pleuritide, quæ inflammatio interna eſt membranæ illius quæ coſtas ſuccingit, & vt plurimum eodem Galeno teſtante libro ſecundo, de loc. affect. cap. 9. à ſucco bilioſo exorta, in eius principio venæ ſectione reuellendum ſemper eſſe cenſet, haudquaquam cathartico, etiamſi dolor ad hypochondria vergat: neque huius auxilij admittit vſum, & reddit rationem, *quia etſi minus quidem auxilium, quam per purgationem ſequatur, ſecurius tamen multò exiſtit. immò nullum ex eo, quod per venæ ſectionem fit periculum impendet, ea*

diſcri-

eo diſcrimen maximum ſubeunte, quod per purgationem tentatur &c. Quare ſi in inflãmationibus præſertim internis, purgantium interdicitur vſus earũ principiis, quanto magis vitanda in eiſdem febriũ putridarum principiis, cum humores omnes intra vaſa contineantur, vias occludendo, & contumaces germinando obſtructiones. Vnde nec cedunt auxiliis, nec liberè confluunt. Conciliabimus locos Galeni, ſi dixerimus, licere aliquando, pręſertim in externis inflammationibus, tenui ac calido exiſtente ſucco, vt apparet in exquiſito eryſipelate, purgatione vti, ſecurior tamen in internis venæ ſectio, hoc idem innuit lib. de curand. rat. per venæ ſectionem capite 7.

Vltimam Augenij ſolutionem infirmabimus dicendo, verum ſenſiſſe Augenium febrem illam ex ſanguine ferueſcente ortam, quam Galenus deſcribit lib. de cur. rat. per ven. ſect. c. 12. indigentem venæ ſectione ad lipothymiam vſque, eandem vt plenitudinẽ tolleret imperaſſe, quia plenitudinem ſupponit Gal. ibidem. rurſus & idem auxilium præcauere ne humor caput petat, quaſi ſit vacuatiuum, præſeruatiuum, & reuulſiuum auxilium. Sed tamẽ peruicacia quadam obcæcatus temerè obſtat, & quibuſdam figmentis veritatem velare, ac obruere ſanè, proteruè ſtudet. hoc enim ita factum eſt, vt dixerat Magnus Gregorius libro 16. Moral. capite 26. quod, *qui prius ſciendo rebelles ſunt, poſtmodum cæcantur, vt neſciant.* hic enim poſtquam accuratè dixerit, in illa febre, quod venæ ſectionem potiſſimum poſtulabat, fuiſſe plenitudinem, poſteà, alterum negat eiuſdẽ auxilij vſum, retractionẽ, ſcil. fluxus. nã vti adeſt plenitudo indicans vacuationem,

ita & motus ſanguinis, indicans reuulſionem; vt ex his quæ diximus ſuprà vberè conſtat. neque hoc auxilium tantum præcauet futurum affectum, anadromen videlicet, verum & præcauet præſentem fluxionem, quæ morbus fiens actu. hanc ſilentio obnubit Augenius, & callidè; cum tanquam præſens actu, multò maioris ſit momenti. verum hæc eſt huius viri, neſcio an affirmem veſania.

Demonſtratur citra vllam plenitudinem fas venas ſecare in febribus, & Galeni locus lib. 1. ad Glauc. interpretatur.

Cap. XVIII.

DOctus Augenius in ferocē incidit ſcyllā, eruditus Maſſaria eandem aufugiens, in trucē rapitur charybdim. ille indicans venæ ſectionē plenitudinem aſtruit, hic magnitudinem morbi. vtrumque expunximus ſuprà cap. 3. 4. & 5. & vberè ſanè, ac ſeriò. Relicta Maſſariæ opinione, etſi ipſi condonemus magnitudinem morbi, ceu neceſſarium ſcopum ad venæ ſectionis deliberationem adeſſe iuſſit actu, vel imminenter: ad Augenij modò conuolabimus diruendam opinionem, quod nec plenitudo vllatenus neceſſaria ad eius deliberationem, & vſum. hic igitur Augenius Galeni auctoritate ſuam fulcit doctrinam, & quamprimum in ſuam tutelam maximè commendat locum illum Galeni libri ad Glauc. ca. 13. in quo ſic fatur, *Sanguinem verò mittere oportet, vbi ob morbi magnitudinem, & quibus rubor multò plus, quàm natura conueniat &c.* Inquit igitur ipſe, per illam coniunctionem copulatiuam,

&

& qua vſus hoc loco Galenus, neceſſariò ſibi cordi fuerat demonſtrare ad tundendas venas non requiri ſolum morbi magnitudinem, verùm & plenitudinem vnà. rubor enim ille maximus plenitudinis certum eſt ſignum; quia innuit non tantum plenitudinem adeſſe in vaſis, verum & ſanguinem per vniuerſi corporis habitum diffundi. vterque igitur ſimul requiritur ſcopus, vt palàm interpretatur itidem hunc locum & doctiſſimus Stephanus Ath. Hanc itaque lectionem, quæ Nicolai Leoniceni eſt, à docto AuguſtinoGadaldino ſimul approbata, tum Augenius, tum eius ſectatores vnicè amplectuntur, quamuis & alteram ab hac diſtinctam referant. Omnem vim coniunctioni copulatiuæ tribuunt; textus Græcus habet τε, qua coniunctione pariter vſus fuit Galenus, ad eandem rem ſignificandam, lib. meth. 4. ca. 6. dum ſcribit, διὰ τὸ πλῆθος αἵματος, καὶ ἰσχυρὰν νόσον. Ideſt, *propter & ſanguinis abundantiam, & morbi magnitudinem*, ſanguis mittendus ſcilicet. Hinc arguunt ipſi Linacrum, & rectè, quia per diſiunctiuam coniunctionem *vel*, locum interpretatur & conuincitur itidem ab ipſis Linacer, & altero Galeni loco, comment. illo à nobis ſæpius citato in lib. 1. de humor. in quo eandem repetens Galenus ſententiam, eâdem copulatiua coniunctione τε vſus eſt, quaſi ſentiat vbique ad minutionem ſanguinis non morbi magnitudinem ſolum neceſſariam, ſed & ſanguinis multitudinem: quibus non adſtantibus, nefas arbitrantur ſcindere venas.

Cæterum opinio hæc vtroque claudicat pede, futiliſque eorum locorum interpretatio. vtrumque conſtabit ſi Galeni verba attentè replicemus. Neque moror nunc, vt rem ordiamur, in varia Li-

Digitized by Google

nacri,& Leoniceni lection: neque an in Galeni lectione *&*, ſumatur pro *vel*, vt appoſitè docet doctor meus inſignis Hieronymus Polus in Apologiam aduerſus conciuem noſtrum Bernardum Caranes. denique neque inficior an illud *&*, vt idem Caranes aſtruit, in eodem Augenij cano voluteans, in ſua propria ſignificatione copulatiua ſit accipiendum. cum lubenter affirmem illud *&*, coniungere plethorā cum morbi magnitudine, haudquaquam morbi magnitudinem cum plethora: quaſi dicat Galenus, aut dicere præſumat, ad venam ſecandam morbi ſufficere magnitudinem, præſentem vel imminentem, ceu alterum ſcopum ab vtroque Parente ſignatum: verum non ſufficere plethoram cum hæc nō ſufficiat, abſente morbi magnitudine, & robore virium, quia vtraque neceſſariò requiruntur, ceu proprij ac legitimi ſcopi huius auxilij, ad eiuſdem vſum, ac deliberationem. Hæc amplius infrà à nobis illuſtrabuntur.

Verum antequam huius loci pandamus interpretationem, quędam à nobis iam ſuperius relata, quāprimum modò, ac breuiter in memoriam reuocemus ius eſt, inprimis, quod morbus ſit illud, quod primò curationem indicat, & ſi magnus per magnum remedium: qui morbus magnus, ſcopus vnicus eſt poſtulans venæ ſectionem; & quanto magis hic augetur, ac vrget, tanto vberior, ac citerior præſtandum vacuatio: quia ſub ratione ſcopi aſſiſtere debet ad huius auxilij deliberationem, ſub ratione autem indicatis magnum indicat auxilium, & tanto maius ac citius, quanto morbus fuerit magnus, ac vrgetior, non ſolum in ſua eſſentia, verum & ratione ſuę cauſſæ, quam reſpectat va-

cua-

cuatio. Denique ſupponendum modò duximus, in morbis ſanandis duplicem aſſignari methodum: vtramque replicat Galenus & lib. 11. meth. c. 14. & li. 13. cap. 5. altera, quâ ſine vllo diſcrimine, vt eiuſdem Galeni vtar verbis, de ſingularibus remediis nos deliberamus, in qua methodo, illicò, ac ſimul nobis occurrunt, quæ manifeſtò inſinuant quid præſtandum, altera rurſus methodus, quâ cogimur diligenti examine plurima rimari, æſtimare, indicantia videlicet, & coindicantia, tam concordia quàm diſcordia, ſcopi pręterea tam remedij, quàm methodi: in qua difficili conſideratione & docti Medici ſępè aperiatur mens. Iſtud aſſiduè experiuntur, qui hanc diuinam exercent artem. vt non videantur hęc ad libitum dicta, variis luſtrabimus Galeni locis, lib. de humor. comm. 1. ſen. 12. Sic fatur, *Cùmque plenitudinis perſpicua adſint ſigna, ac valentes vires ſint: venam ſecabis; ſi videlicet tenſionis ſenſum afferat affectio, ſine vllo diſcrimine: ac multò etiam magis ſi ſenſum inflammationis aduehat. Si verò plenitudo aggrauans moleſta ſit, ſanguis non perpetuò mittendus erit.* Dilucidè vtramque exercet methodum hoc loco Galenus, & vti in altera, ſine vllo diſcrimine hauriendum eſſe ſanguinem decernit: ſic in altera non perpetuò docet. rationem eodem comm. paullò ſuprà aſſignat dicens, *ſiquidem multæ cauſſæ ſunt, vt quidam venæ ſectionem, quidam purgationem, quidam aliud denique remedium exigere videantur. Nihil tamen niſi adhibita diſtinctione, faciendum, niſi velis multos in facienda Medicina errores committere.* Hæc vltima verba palàm oſtendunt quæ nuper diximus, vltimæ videlicet methodi difficul-

tatem, animi Medicinam facientis ambiguitatem, ob tot, tantarúmque rerum, & ſæpè diſcordium arduam conſiderationem: & per conſequens alterius, propter oppoſitas rationes facilitatem maximam, cùm nec diſcordia, nec abdita ſint indicantia, coindicantia, aut ſcopi; de quibus omnibus, ceu certis, manifeſtis, & concordibus facillimum eſt ferre iudicium. Hanc eandem doctrinam, & libro de hac re inſtituto, de curandi ſcilicet rat. per venæ ſect. ca.6. ſectatur Galenus, dum inquit, *Vbi igitur extantibus plenitudinis ſignis valentes facultates fuerint, venam incides, videlicet, ſi tenſiua quidem ſit affectio, nullo diſcrimine*; hoc enim propriè ſonant codicis Græci verba, οὐδὲν ἐπιδιορίζόμενος, quem locum Oribaſius, iuxta verſionem Raſarij legit lib.7. collect. ca.1. *nulla amplius adhibita diſtinctione*, mutato tantùm ἐπὶ, in ἔτι: aut, *nihil præterea attendens*, quæ omnia idem ſonant, *magiſque etiam in phlegmonide. Sin infeſta ſit degrauans plenitudo haud ſemper moliena ſanguinis detractio eſt.* Tandem & eôdem libro, ca.5. idem his verbis aſtruit; *Igitur cùm plenitudo duplex ſit (optimum enim fuerit hinc auſpicari,) & ea quæ ad vires refertur, facilè in putredinem perueniat, atque etiam interdum in partes quaſdam ingruens, inibi tumores præter naturã excitet: & altera quoque, quæ κατὰ τὸ ἔγχυμα appellatur, ſæpè in partes decumbat, ac tumores creet, imò & apoplexias moliatur, venarúmque ruptiones: eam celeriter euacuare tentandum, priuſquam magnum aliquod malum in homine admittat.* Ex hac vtraque Galeni ſententia liquidò conſtat, quod probare intendimus, & quod probare intendimus, & quod in plenitudine ad vaſa ocyſſimè vacuandum ſit, & citra diſtinctionem,

aut

aut diſcrimen: in altera verò quæ ad vires, haudquaquam ocyus, quia requiritur conſultatio, & omnium æſtimatio. Præterea ex vltimis Galeni verbis liquet, nos haudquaquam venas tundere plenitudinis ratione, cum hæc per ſe non indicet auxilium, verum quatenus cauſſa futuri, vel præſentis morbi magni, ſeu quatenus ſit præter naturam, & tunc indicat vacuationem, & magnam, ſi morbum efficere magnum ſit valens. inſinuant iſtud, illa Galeni verba, *eam celeriter euacuare tentandum, priuſquam magnum aliquod malum in homine admittat*, quod eſt huius auxilij alter ſcopus. Et vti hoc magnum malum celeriter germinatur à magna & vehementi cauſſa: ita propter illud primò, ac per ſe de magno delibetatur remedio, & de magna vacuatione, ſi pariter cauſſam habuerit plenitudinem, quam ſupponimus. proximè hanc reſpectat auxilium, verùm primò à malo magno indicatur. Quare, cum Galenus ibi duplicem conſtituat plenitudinem, illud celeriter, ſeu quod alibi nullo diſcrimine, eam tantum reſpicit quæ ad vaſa, non autem vtramque, vt innuit relatiuum, *eam*: cũ in altera quæ ad vires, illud præſtandum, diligenti præmeditatione. Attendant igitur Galeni manes, admirabilem eiuſdem concentum, cùm quod lib. de humor. ſcripſerat, bis ſtruat, & altero de cur. rat. per venæ ſect.

His itaque ſubſtitutis, facilè erit exponere illos Galeni locos, tam ad Glauç. quàm librorum methodi, & alios quoſcunque. cunctis enim his, methodum exponit facilem, & expeditam, qua celeriter, & ſine vllo diſcrimine, nulláque ferè alia amplius adhibita diſtinctione, ſeu cũ Raſario, nihil aliud

præterea attendentes, ſeriò impellimur ad venæ ſectionis deliberationem: quia & morbus magnus præſens, aut futurus timetur, & tenſiua ſimul plethora, eiuſdem efficax cauſſa, quam neceſſariò itidē conſequitur robur virium. proinde ad hanc expeditam methodum edocendam, vſus eſt illa coniunctione copulatiua &, cum ad eandem ambo cōiungi iūs. illa enim coniunctio bis repetita fit haud dubiè conditionalis: quaſi inſinuet Galenus & in morbi magnitudine hauriēdus ſanguis, &, ideſt, eò præſertim, ſi rubor multo plus, quā in naturæ cōueniat appareat. hæc enim conditio artificis mouet animum, vt quàm citò, & ſine conſultatione de illo auxilio deliberet; cum morbum inſinuet magnum, magnūque amplius futurum præſentia maximæ illius cauſſæ. neque proinde aſſerendum, requiri neceſſariò plenitudinem ad ſciſſionem venæ; quod falſum, & à mente Galeni alienum. Verum expedita illa venę ſectionis deliberatio exurgit, quia morbus magnus, magna itidem eius cauſſa, magnum denique & robur virium. Concordant itaque omnia, & illud auxilium celeriter acclamant.

Quod illa aduerſariorum interpretatio vtroque claudicet pede, ex eō potiſſimū demonſtratur, quod duo aduerſus legitimam Galeni mentem concludant axiomata. alterum, quod citra morbi magnitudinem præſentem, vel futuram venas ſecare liceat: alterum rurſus, quod in morbi magnitudine haudquaquam liceat venas tundere, non adſtante plenitudine. Illlud primum infrà copioſè infirmabimus, iam alterius nunc habebitur ratio, ceu ad præſens inſtitutum ſpectans. Galenus itaque citato loco 4. meth. ca. 6. & præſente plethora non ſecari

venam

venã affirmat, & eãdē abſēte tūdi.ſi igitur ea abſente fas,ergo tantum in morbi magnitudine,ceu vnicus ſcopus poſtulans , & à qua magnum indicatur remedium.quare cùm dixerit infra ſanguinem mitti & propter abundantiam,& morbi magnitudinē: ſibi haudquaquam cordi eſſe neceſſario ambo connecti; verùm ex magnitudine morbi nos illud auxilium deliberare , ex connexa plethora idem ſine diſcrimine. Aut dicendum in hoc concurſu ſecandas eſſe venas, ſi plethoræ morbi connectatur magnitudo, propter quam primò deliberatur.inſinuat hanc veritatem idem Galenus manifeſtò com. illo citato lib.1.de hum.ſen.12. dum explicans illam expeditam methodum, ſic eloquitur , *Hoc igitur nobis concilij dat Hippocrates vt purgemus , ac redundantem humorem euacuemus : idque modò ſanguinis detractione , cum is cæteros humores ſuperet : modò medicamento purgante, cum aut flaua, aut atra bilis, aut pituita redundet. præſertim verò ſi malitia humorum adiuncta ſit , aut plenitudo , aut inflammatio , aut herpes , aut aliud quid huius generis. Quo circa ſtatuendum eſt purgationes eſſe perutiles: & cum morbi magni ſunt, & cum quibus permagna eſt humorum iuncta redundantia.* In hac Galeni lectione, illud *præſertim*,totam hanc luſtrat doctrinã:quę particula cum aduerbium ſit,quod adiunctum verbo vacuemus , (ſiue vacuatio per venæ ſectionem, ſiue purgationem fiat) eius dubiò procul auget ſignificationem : quaſi innuat illis verbis Galenus, Purgandum eſt morbo exiſtente magno, à quolibet hic oriatur cacochymo ſucco : præſertim verò id eſt tunc ſine diſcrimine vllo , ſeu haudquaquam cunctanter præſtandum , ſi illi cacochymiæ

malitia,ſeu cacoëthia fuerit adiuncta,aut connexus herpes. Porrò ſanguis mittendus in morbo magno ab humorum redundantia orto, in qua videlicet ſanguis reliquos ſuperet humores; præſertim verò, ideſt,nulla alia adhibita diſtinctione,ſeu nihil præterea attendentes, aut non cunctanter, ſi illi redundantiæ,morbi magni cauſſæ, aut plenitudo adiuncta fuerit, aut inflammatio. Quid dilucidius?Duo igitur ex his liquet inferre, & quod plenitudo citra morbum venæ ſectionem nec deliberatiuè indicet,dico citra morbum præſentem, vel imminentem. quia in morbo magno, citra plenitudinem, ſola præſente aliqua redundantia, in qua ſanguis vincat,ſeu ſuam ideam ſeruet, accuratè illud exercetur remedium,vt apertè Galenus declarat eodem lib.4.method.cap.6.dicens, *Ex quo patet plenitudinem non eſſe quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi.* Secundò concludimus,quòd plenitudo morbo magno adiuncta facilem reddat methodum ad eiuſdem auxilij deliberationem:cum affirmet Galenus ſanguis mittendus in redundantia, præſertim ſi ei adiuncta fuerit plenitudo : quia hæc fidem aſtruit de conferentia, & certitudine auxilij.Quamobrem,& hoc idem intendit Galenus ad Glauconem, dum repetit bis illam coniunctionem *&*, cum repetitio illa, iuxta Oratorum doctrinam, affectum orationis potiùs adaugeat. Et quod hic genuinus ſit loci Galeni ſenſus, patet hac ratione ducente ad incommodum, ſequeretur namque quod ſanguinem non mitteremus, niſi ambobus,ceu ſcopis,concurrētibus.quod falſum,& abſurdum;cum reluctetur methodo, & Galeno, huic,

huic, cum ambobus concurrentibus tantum ſine vllo diſcrimine illud auxilium exerceat. alteri, quia à cunctis vnicus ſignatur huius auxilij poſtulans ſcopus, morbi videlicet magnitudo, robur virium, & ætas conſentientes potiùs, nec plures. quare nulla præſente plethora, lubet deliberare de vena ſecanda. ſufficit enim redundantia aliqua adſit, in qua ſanguis ſuam ſeruet ideam, quæ auxilio materiem præbeat, & vnà viribus ad earum cuſtodiam ſit munimentum. Denique & quod Hippocrati illa opinio repugnet, & Galeno, fit palàm, ſi eorum opera repetamus. Hippocrati præſertim libr. 5. Epidem. num. 2. Galeno autem infinitis ferè locis. hic enim, citra vllam ex duabus plethoræ differentiis, ſanguinem nos mittere poſſe tuetur ſtrenuè, tum libr. de cur. rat. per ven. ſect. ca. 8. 9. tum com. 3. in lib. de Articul. ſen. 62. tum citato ſæpius com. 1. in libr. Hipp. de humor. ſen. 12. libro itidem 8. c. 4. & 13. meth. c. 10. lib. 6. de morb. vulgar. ſen. 29. tum tandem & lib. 4. meth. ca. 6. cuius loci verba, ſeu quouis ſole illuſtriora, replicemus modò, *Tametſi redundantia ſanguinis concurſus non adſit, ad ipſam tamen ſanguinis miſsionem interdum* (ſeu vt altera lectio antiqua neceſſum) *ſit confugiendum: quando ſi valens morbus ſit cum virium robore, nemo eſt qui ſanguinem nō mittat, qui vtique in artis operibus ſit exercitatus.* Concludit mox paullò infrà ex dictis, *Ex quo patet non hoc eſſe* (plenitudinem ſcilicet, de hac enim ibi ſermo) *quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi, ac virium robur: exceptis tamen à ſermone pueris.* Hac concluſionem iterum probat Galenus cum dicat eodem loco, *Nam & alia ratione, ſi quis etiamnum ſanus, nec adhuc quicquam læſus in*

ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe: imò aliis ſatisfacit inedia, aliis cibi parcitas, aliis ſoluta aluus, ſeu purgatio &c. Ab hoc illuſtri Galeni capite plurima depromam omni encomio digna, ad horum Nouatorum hoſtilem opinionem vaſtandam. Inprimis illud quod iam ſuprà vberè diximus, quod morbo tantum præſente magno poſtulante, viribúſque pariter conſentiētibus, citra vllam plenitudinē interdum, vel vt alij legunt neceſſariò, ſangnis hauriendus. Rurſus aduerſus eoſdem, plenitudinem nullatenus ſcopum, aut indicantem venæ ſectionē. quo loco indicationem cōfundit cum ſcopo, vt ſibi moris eſt, cum reapſe diſtinguantur, vt ſuprà demonſtrauimus. ſola enim morbi magnitudo eandē indicat; deliberatiuè inquam, cum propriè nō indicetur morbo itaque exiſtente magno interdum ſanguis mittēdus cōſentiētib. viribus, & fortè ætate, vt hoc loco ſignificat. ad plenitudinem autē nudā tollendā ſolo inualidorū remediorū vſu nos ſæpè conuincimur: vti inedia, parcitate cibi, clyſterib. &c. morbo haudquaquā pręſente magno, aut imminēte; aut ſaltem diſtinctione adhibita, ſi maius requiratur auxilium, iuxta rationalem methodum, de vena ſecāda, aut purgatione ſeriò deliberabimus. quia, cum affectus ſolus, ex Gal. ad Thraſyb. ca. 23. conferens quid, non indicet: quod eſt vtile, & ratio poſtulat & methodus determinat, vt vtile hoc ex primo indicāte, ꝙ eſt morb. diſcernatur, tū ex cōſideratione aliorū coindicātiū cū morbo, ex Gal. li. 13. meth. ca. 16. inter quę pōt, nō tamē neceſſariò, ipſa plenitudo cōcurrere, ſuadēs, & approbās vnà auxilium illud, quod iam indicauerat morbus. Sub morbi notione pluri-

plurima nos comprehendimus, ſpeciem quāprimū & ideam morbi, qualis pleuritis, angina, apoplexia, phrenitis, tertiana, ſynochus; rurſus eius acutiem, & magnitudinem, quando morbi celeriter omnia percurrunt tempora, & cum vitæ diſcrimine. quæ magnitudo & tria in ſe concludit capita, cacoethiam, malitiam, ſeu malum morem, magnitudinem ſimpliciter, & in ſua eſſentia, magnitudinem reſpectiuè ob læſionem præſtantis partis. Amplectimur porrò ſub morbi notione & eius cauſſam, plethoram videlicet, aut multitudinem ſimpliciter, aut humorum fluxionem, aut eorundem qualitatem. Denique & concomitantia ſymptomata ſiue pathognomonica, ſiue epiphenomena: quæ aliquando, ac ſæpius morbos ipſos augent.

Sed cum ad cuiuſque rei intellectionem, & vſum commodum, aſſerente Gal. li. 5. de tuend. valet. c. 10. exercitatio, quæ per exempla fit, maximè ſit vtilis: hinc, & hanc doctrinam exemplo luſtrare lubet, vt & vera, & facilis etiam, cuique ſe præbeat. Ponamus itaque morbū, tertianā videlicet continuam, & nothā: inquiramus mox, an huic, nulla adſtante plenitudine tūdenda vena. Hęc febris ex ſua natura magnus morbus, quia omnis febris, quā putreſcēs accendit humor, ex Gal. li. 8. meth. c. 9. morb. magnus, cū vim maximā habeat per ſe, vt nō minimū noſtrū corpus lædat, cuius intēperies pariter lōgè à naturali ſtatu recedit, totūq; afficit corpus, quæ vnà cū eius cauſſa, putredine inquam valent haudd ubiè noſtrā corrumpere naturam. Porrò in hoc morbo reperitur materies, cui ineſt vis cauſſæ efficientis, hæc enim, bilis videl. vnà cum aliis permiſta humoribus

obſtructionem parat,à qua,media prohibita träſpirationé,concipitur putredo,& ab hac rurſus febris. Hi igitur affectus obſeruandi in putridarum curatione,in qua quod vltimum per analyſim, primum ſe offert ſanandum. hoc primum eſt materies obſtruens, fluxio videlicet ad obſtructionis locũ impetum ducens, & iam fluxus humor, actu iam pariens obſtructionem:hinc duo exurgunt indicationes,vt quod fluit retrahamus,& fluxum vacuemus: & cum morbus ſit magnus, vtrũque præſtandum magno auxilio, ex natura indicantium.& cùm duo ſint tantum auxilia illud præſtantia,venæ ſectio, & purgatio,alterum ex his deliberandum. deliberabitur ſeriò, æſtimata natura materiei, ex Galeno lib. 4.& 13. method. cap. 6. & cum materiem ſupponimus bilem,& hanc intra vaſa contentam,haudquaquam ſinceră,ac ſegregatam,ſed cum aliis humoribus permiſtam: elucet hinc neceſſariò in hac febre venam eſſe tundendam, plenitudine nulla ratione æſtimata, cùm hæc nec concurrat neceſſariò, imò contingenter,nec in noſtra hypotheſi ſupponatur, nec vt ex Galeno nuper diximus, ad venã ſecandam requiratur. quia citra hanc, cauſſa hæc, quatenus ordinem dicit ad morbum magnum, huiuſmodi poſtulat auxilium. quamuis obſtructio, & putredo per ſe illud non exigant, vt ſcripſit Galenus libr. 11. meth.ca.14.exigit tamen obſtructionis cauſſa; cum omnis fluxus compeſcationem indicet, in quo cõueniunt febres omnes putridæ, cum inflammationibus,vt inſinuat perdoctè Galenus lib. 11.method. cap.7.& 8. Quamobrem in illius auxilij deliberatione, quæ neceſſariò occurrunt obſeruanda, quatenus ſcopi vel indicantia illa prædicta ſunt tantũ: pleni-

plenitudo autem non concurrit neceſſariò, cum citra hanc, ex aliqua redundantia concitari valeat fluxio,& inde germinari obſtructio; vnde nec eius habenda ratio. Itaque illa abſente ſanguinem hauriemus,& præſente vbertim, ac ſine diſcrimine, ſi tale remedium poſtulauerit morbus, qualem hîc ſuppoſuimus.

Illuſtratur locus Galeni lib.8.meth.cap 4. aduerſus Nouatores, & progreditur inſtitutum.

CAP. XVIIII.

Nouatores iſti,aduerſus quos omnino præclarè nobiſcum agitur, altero illo Galeni loco, ex lib.8.methodi c.4. hauſto, in totum Linacri lectione remiſſa, eorum portentoſam conantur defendere opinionem. territi enim,ac pudore ſuffuſi, quaſi excandeſcunt, obſeruata hâc Galeni auctoritate, ipſis è diametro oppoſita. hinc inuertunt orationis particulas, mutant Græci codicis ſeriem, latinam Linacri lectionem doctiſſimam conuellunt, reiiciunt: ſed quid non præſtabunt miſeri, in hoc vltimo naufragio? verum fruſtra, vt ſi Deus faxit vberrimè oſtendemus. Verba itaque recenſeamus, *Ac ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet: inter has ætates, vbi ægro robur non deeſt, ſecanda vena eſt, etiamſi plenitudinis ſigna non adſunt.* Hæc lectio Linacri, non ſolum germana Galeni, iuxta veritatem codicis Græci; verùm etiam ceu genuinam, ac veriſſimam omnes doctores Medici eâdem ampleƈtũtur, vnà & grauiſſimi exploratores

operum Galeni, & in noſtris vulgatis eiuſdem codicibus, tanquam certam, intactam reliquerunt.

Iſti autem Grammatiſtæ, rei veritate relicta, verbulis, ac argutiarum ſtrophis rem obſcurare innituntur, & omnem difficultatis vim intra cancellos verborum, illius præſertim coniunctionis aduerſatiuæ, etiamſi, & alterius verbi, *adſunt*, contineri rentur. Quamprimum exiſtimant illud *etiamſi*, ſeu *etſi*, coniunctionem non eſſe aduerſatiuam, ſed diſiunctiuè legendum, ceu duæ conuinctiones, copulatiua altera *&*, & cauſſalis altera *ſi*. & ita in Græca lectione legendum εἰ καὶ, *ſi &*, haudquaquam κἂν, *etſi*. Hanc eorundem opinionem confirmant variis auctorum teſtimoniis, tam ex Græcorum, quàm Arabum familia peritis, Aëtij, Tralliani, Auicennæ, & Conſtantini Africani, qui omnes cum hanc referant Galeni ſententiam diſiunctiuè legunt: quaſi requiratur hæc conditio ex eorum omnium mente, quod ad venas ſecandas plenitudo requiratur. Hinc itidem opinantur Galeni illam lectionem affirmantem, & particulam illam negantem, *non*, auferendam, nec legendum cum Linacro *non adſunt*, vel *abſunt*. Cæterum & Hieronymus Mercurialis hanc eorum approbat lectionem, epiſtola quadam ad Medicinæ ſtudioſos, in operum Galeni limine inſerta, ductus potiſſimum auctoritate antiquiſſimi illius Galeni interpretis Conſtantini Africani, tum Aëtij lib. 5. tetrabibli, cap. 69. qui ambo in codice Græco legunt παρεῖν *adſint*, haudquaquam ἀπεῖν *abſint*, ſeu *non adſint*, vt vulgata noſtra tenet lectio, Nouatores itaque iſti horum doctorum cateruа contenti (quaſi cum ipſis non poſſent ſimul cæcutire) relicta vera & exacta interpretandi ratione,

quaſi

quaſi iam palmam reportent,gloriantur.

Verum enim verò in quanto errore verſentur hi fit palam,ſi rationem inſequantur,quæ ſola,ceu adęquatum mentis obiectum,omnem eiuſdem adimplet capacitatem. Et ſi Galenum,Medicinæ ſanè exemplar,ſumma Dei O.M.benignitate tributum, omnes nos ceu alterum Numen veneramur, & colimus, hunc per ipſummet interpretari ius, locorũ eiuſdem facta ſeria cõbinatione. Hippocratem per ipſummet interpretari,veluti Galenum per ipſummet Galenum nulla fidelior ratio. quid quod & in hac locorum combinatione, exactius multò eſt locos illos obſeruare, in quibus ex inſtituto de illa quæ à nobis quæritur materię auctor diſputat, & mentem rurſus eiuſdẽ ſubtiliter, & æquo perſcrutari animo. Quod ſi glorientur & ipſi (hac exacta relicta methodo) quorundam Græcorum auctoritate Aëtij, & Tralliani: nec nobis ſtrenui alij deſunt ex eâdem claſſe, qui viriliter itidem & has noſtras tueãtur partes;adeſt quamprimum Oribaſius, qui poſt illos diuinos parentes, Hippocratem & Galenum, cedit nulli,& inter omnes familiam ducit.hi itaque lib.1.Synopſeos, cap.7.etiam grauiſſimo,&fideliſſimo Raſario interprete, hanc eandem amplectiturGaleni doctrinam,iuxtaLinacri lectionem,vt docet pariter capitis inſcriptio; verba hæc ſunt, *Si magnus morbus expectetur, ſanguis omnino mittendus erit, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint, habita tamen ratione ætatis, anni temporis, & virium.* Eiſdemmet verbis ad vnguem hanc eandem refert ſentẽtiam,quaſi ſemper ſtet dictis &lib. 7.collect.ca.2. Quid igitur fidelius?quid exactius?ſi

Paullum exploremus, etiam maximum Galeni æmulatorem, quem Simiam Galeni vocare conſuetum, ob doctrinæ æmulationem, lib. 2. ca. 18. & hoc idem (etſi non explicitè) ſentire videtur. cum enim ipſe febrium putridarum tradidiſſet curationem per venę ſectionem, ſic fatur, *Si vires ſint validæ ei, qui ex putredine febricitat, ſanguinem dimittes protinus: modò cruditas in ventre non exiſtat.* quò loco ſi Aëtio, & Tralliano aſſentiretur, veluti ventris cruditatem excepit, ceu dehortantem venæ ſectionem, excepiſſet pariter & plenitudinis abſentiam, vt abſolutum ac ratum eſſet pręceptum: quia ęquè intereſt Medico poſtulantem obſeruare, quam prohibentem. quid enim prodeſt ad venas ſecandas æſtimare poſtulantem, febrem, inquam, putridam, ſi prohibentem illud auxilium, languorem videlicet virium non conſideret? quod ſi plenitudo neceſſariò ſcopus, aut indicans, & hanc ſimul adeſſe inſinuaſſet, vti & de cruditate ventriculi, ceu de hortante, aut differente in aliud tempus, mentionem fecit. Quare cum huius tantum meminerit, plenitudine oblita: pariter & hunc cum Galeno & Oribaſio proculdubiò ſentire, arbitramur. Sed hæc, ceu minoris momenti relinquamus modò, ad exactiorem illam methodum conuolantes.

Galenus itaque (vt rem aggrediamur) lib. illo, de hac re inſtituto, cum ex profeſſo morborum curationes per venæ ſectionem tradere inſtituiſſet (vt omnes iuſtas, ac veras ſeruemus interpretandi leges) apertiſſimis verbis, citra vllam plenitudinem venam ſecandam eſſe teſtatur, vt nullus cuique ampliùs concedatur dubitandi locus, niſi ceruicoſus quiſpiam, adhuc inficiari rem velit. huius auctoris

diui-

diuina hæc ſunt verba, ca.8. *Porrò non ſolum vbi adeſt plenitudo, ſiue ea vt ad vires ſit, ſiue vt κατὰ τὸ ἔγχυμα* (id eſt plenitudo quam locus continens metitur. hoc enim verba illa ſonant Græca, & hanc plenitudinem ad vaſa vocant Latini.) *mirificè prodeſt venæ ſectio, verum etiam citra plenitudinem initio phlegmones.* Rurſus infrà cap. 9. poſtquam aſſignaſſet illos tres venæ ſectionis ſcopos, quos ibidē ad mentem Hippocratis refert, hæc ſubiungit, *Contrà enim prorſum ſanguinis mittendi ſcopi, primum in ſe plenitudinem non comprehendunt, ſed fientis, vt ſic dicam paßionis ſuſpicionem. Nam ſi eam magnam fore apparet omninò ſanguinem mittemus, etiamſi nulla exiſtat plenitudinis nota, tantum inſpecta ætate, &c.* Videat itaque amabò ceruicoſi illi, ac temerarij, quomodo coniunctim, tanquam aduerſatiuam coniunctionem hoc loco itidem accipiat illud, *etſi,* Galenus, ſimúlque negantem proferat orationem, cum dicat, *etiamſi nulla exiſtat plenitudinis nota.* quod herclè illud idem eſt quod lib. 8. meth. *etiamſi plenitudinis ſigna non adſint.* Porrò attendant & ipſi quomodo vnicum tantum hoc loco venę ſectionis poſtulantem ſtatuat ſcopum, paſſionem videlicet magnam, etſi eadem actu non exiſtat, ſed futura timeatur, quod innuit futuro illo infinitiui *fore.* Sub quo magnæ paſſionis ſcopo plenitudinem non cō-prehendi, palàm commotat, cum ab illo plenitudinem ſeparet, quam ad venæ ſectionem concurrere haudquaquam intereſſe ſcribit. Quid plura? *ἅπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ.* Abeant igitur iſti bonis auibus, támque execrandam pertinaces mutent opinionem, Galeno, veritati, cum methodo, ac experientiæ

omnino reluctantem. his itaque litent, nobiſque dent herbam.

Quod ſi vnica illa ac infida naufragij tabula ab hoc arduo oceano ſe liberari poſſe arbitrentur, dicentes, eo loco Galenum non de febrium curatione inſtituere ſermonem, verùm inflammationum potius, in quibus libenter & nos, cum fluxionem eiſdem concedamus, cui reuulſio debetur, & venæ ſectionem reuulſiuã pariter concedimus; in qua plenitudinem adeſſe nihil refert: ius tamen, quotieſcunque mens vacuare tantum, vt in febribus. Quare nihil concludit aduerſum nos hoc Galeni teſtimonium, cum manifeſtò loquatur de reuulſione in inflammationibus, de qua nulla dubitatio, nec lis, cum etiam & cum ipſis in hoc conueniamus.

Hæc reſponſio, futilis ſanè, tria potiſſimùm continet membra; quibus ſatisfacere nobis modò incumbit munus. Inprimis quod hoc loco explicitè de inflammationibus loquatur Galenus, haudquaquam de febribus, etiam & nos libenter fatemur: verum cum mos ſit Galeno, abditam doctrinam, manifeſtis exemplis, ac ſenſib. obiectis rebus, ſi fas, ſæpè luſtrare; hinc, non hoc loco ſolum, verum & lib. 2. de differẽtiis febrium, itidem & libris methodi, inflammationum exemplo, ceu res peruia, & ſenſibus obiecta febriũ doctrinam explanat: tum quia in generationis modo concordia ambo concordes & cauſſæ, curãdi methodus vtriſque eadem, teſtante lib. 4. meth. cap. 4. Gal. Alterum morbum, fluxionem illi admittunt in inflammationibus, eandem negant in febribus: hęc iam copiosè ſuprà nos confutauimus, nec eſt quod immoremur, modò in demonſtrando, etiam in febribus adeſſe fluxionem,

cùm

cum nihil verius.

Denique tertium eſt; quod ad venas tundendas neceſſariò adſit oportet plenitudo; quod itidem falſum, vt ſuprà luſtrauimus: ſufficit enim adſit materies aliqua, circa quam verſetur, ſeu operetur auxiliū à morbo magno indicatum. Quare locus ille Galeni febres non excludit: imo vti in inflammationibus ius, citra plenitudinem tundere venas, vt fluentem compeſcamus humorem, & fluxum partim vacuemus: pari ratione in febrib. propter eoſdem ſcopos & ſcindenda vena. hinc in vtriſque ſanandis affectibus, eadem methodus, eædem intentiones, ſeu iidem curatiui ſcopi. Nec vllibi Gal. oppoſitum ſentit, néve diſparem tradit curandi rationem. aut hanc doceant ipſi amabò, ipſiſque tunc vera dicentibus credemus.

Quod ſi rurſus obiiciant, citato loco de cur. rat. per ven. ſect. tantum obſeruaſſe Galenum paſſionis, ſeu morbi partem fientem; quæ cum reuulſionem indicet, plenitudinem nō requirit, ſed tantum motum ſanguinis reſpectat: & ita inquit, venæ ſectionis ſcopi, huius inquam, plenitudinem in ſe non comprehendere, ſed tantum fientis paſſionis ſuſpicionem.

Satisfaciemus dicendo, verum quidem partem fietem præſertim ibidem obſeruare Galenum, quia hæc potiſſimum in febrium & inflammationum initiis vrget: tamen nec proinde partes factas reſpuit, quæ neceſſariò in vtroque affectu ſimul concurrunt ſanandæ. nam poſito, quod morbus, neceſſariò eius partes exiſtunt factæ, cùm de eius ratione formali ſit partes habere factas, & permanētes; quę, quāuis prius in animali exiſtāt, poſterius in

curatione ſe offerunt hinc prius prohibemus quod ſit,mox factum ſanamus.hoc tamē non vetat, quin ſimul vtrique affectui, iuxta cuiuſque magnitudinem, ac vrgentiam nos occurramus, iſtúdque in inflammationibus ſanandis præſtandum eſſe,docet Galenus lib.7. de comp. med. cap. 9.per genera dicens,I*nflammatis quidem particulis, tum repulſoria medicamentorum qualitas morbi initio, tum diſcuſſoria ſemper ex vſu eſt.*Idem rurſus refert, & rationē pariter aſſignat lib.6.de comp.med.ſecund.loc.cap. 3.tum lib.13.meth.cap.6.& lib.2.ad Glauc. cap.2. Si igitur,ab initio, in inflammationibus ſemper ex vſu repulſoria,& diſcuſſoria,nec propter aliam cauſſā,niſi quia in qualibet principij parte quidpiā fiens eſt,quod reuellēdū ac repellendum,&quidpiam factū quod iugiter vacuandum,& diſcutiendū.Cúmque in cunctis etiam putridis febribus, per totum ſaltem principium quidpiam ſit fiens, obſtructionem germinans, quidpiam itidem factum,ſeu iam actu obſtructum, propter vtramque cauſſam, ab initio ſemper ex vſu erit, tum compeſcere ac reuellere quod fluit ad obſtructionis locum,tum vacuare quod factum, & ad eūdem obſtructionis locum iam fluxerat. propter quam cauſſam, vt vtrique ſatisfaciamus ſcopo, venas coniuges inquirimus, vt reuellamus citò ex parte ad quam fluit humor, & ſimul eodem auxilio, ex eadem parte vacuemus. Quare Galenus citato loco de cur.rat.per ven.ſect. quamuis fientis paſſionis meminerit,factam haudquaquam excluſit; cum vtrique teneamur occurrere, & idem numero auxilium vtrumque exactè præſtet. In cunctis itaque febribus put. citra plenitudinem ius quidem haurire ſanguinem,

non

non ad reuellendum ſolum, verum & ad vacuandum, cùm vtrique ſemper in earum initiis adſint ſcopi, vti & in inflammationum initiis, in quibus itidem ob eoſdem ſcopos venas ſecamus. Si igitur in inflammationibus iſtud verum, vt cum Galeno hoc loco Nouatores aſtruunt, ergo nec plenitudo neceſſaria ad venæ ſectionem, in ſanandis inflammationibus: ergo nec in febrium principiis, cum in vtroque affectu iidem, in eorum initiis adſint curatiui ſcopi, eadem curandi methodus. Quid quod & ſimpliciter Galenus, aduerſus hos Nouatores eo loco ſententiam pronuntiat, quòd venæ ſectionis ſcopi plenitudinem non comprehendant, ſed vnà cum robore virium morbi tantum magnitudinem: quæ cum in ſe cauſſam amplectatur, cui primò debetur præuiſio, haud morbo neglecto, cùm huius ratione, ſiue præſentis, ſiue futuri ſuſcipiatur curatio; proinde paſſionis fientis in inflammationum curatione quamprimum recordatur. quæ altera; nec leuis ſanè erit huius difficultatis enodatio.

Cæterum vlterius progrediamur lubet modò, & Galeni concentum obſeruemus, cum ſibi ſemper conſentiat, ſi verba perpendantur seriò, hic igitur vir, præter iam citatos locos, etiam & eruditiſſimo illo commentario in ſen. 11. lib. 2. Hippoc. de hum. poſtquam huius optimi Senis in omnibus rebus commendarit diligentiam, tum quàm maximè in ſignando ſcopo, qui ad deliberandum de purgatione, cæteris haud dubiè præſtat, & ab Hippocrate in ſuperioribus oblitus, aut neglectus, morbi inquam magnitudo; tandem aduerſus Menodotum, & eius aſſeclas hæc ſubiungit, *Et tamen fit interdum cum non adſit plethoricus concurſus, vt mittendus ſanguis*

ſit. Si enim morbus magnus ſit, viréſque ægroti robuſtæ, nemo erit, qui in Medicina facienda ſit exercitatus, qui non eſſe miſſurus ſanguinem videatur &c.

Conuincuntur ex hac ſententia, omni ex parte Nouatores; quamprimum, lucet veritas lectionis Linacri, cum idem, etſi diuerſis verbis, hoc loco ſcribat Galenus, dum citra plenitudinem in morbis magnis, conſentientibus viribus ſanguinem fundat. Neque alios præter hos duos præponit ſcopos in vena ſecanda. reſpuit itaque plethoram Menodoti, verum & omnem: cum binos illos tantum conſulat: rurſus cùm ſententia hæc ſit vniuerſalis, omnes morbos magnos attingens, intra quorum cancellos haud dubiè & febres putridæ continentur, de eiſdem pariter verba facere pro certo habendum.

Porrò, cum in illo doctiſſimo commentario, inſtituerit de venæ ſectione, & purgatione diſputare, accepta occaſione, ex ipſiusmet Hippocratis oraculo, poſtquam de purgatione abundè ſcripſerat, iam rurſus ad venę ſectionem cõuertit ſermonem, quantum munus interpretis patiebatur, *Iam verò* inquit, *non ſolum incidenda vena eſt, cum ſubeſt plenitudo, ſed etiam ſine plenitudine in principio inflammationis*, & per conſequens, vt demonſtraui mus & in febrium putridarum principio. Hanc eandem tenet ſententiam & lib.4. method. cap. 6. etiam aduerſus eundem Menodotum diſputans: quo loco Empiricos laudat, qui corpore prorſus ſanguinis redundantiæ, ſeu plenitudinis expertæ, poſtulante tantúm morbo magno, vt in caſu ab alto ſanguinem detrahebant ipſi. & concludit eo loco Galenus, *Ex quo patet non hoc*, videlicet plenitudiné,

Eſſe

Eſſe quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi, ac virium robur, &c. Videte amabò, attendite quæſo huius tanti viri harmoniam, quod enim hoc loco dixerat plenitudinē nō indicare venæ ſectionē (nec moror in verbo indicare καταχρηστικῶς hoc loco ſumpto) illud idē eſt, quod libr. de cur. rat. per venæ ſect. plenitudinem non eſſe ſcopum miſſionis ſanguinis, ſi igitur nec indicans, nec ſcopus (quæ duo confunduntur ſæpè à Galeno, & promiſcuè ſumuntur); cur igitur vos tantoperè cæcutientes, ceu huius auxilij proprium ſcopum, ac propoſitum veneratis? ô baldi! Præterea ex hoc methodi loco tranſcripſit Galenus (vt ipſemet ibidem teſtatur) commentarij illa verba, libros enim Methodi allegat, dicens, *diffusè de hac re loquutum fuiſſe, tum in methodi libris, tum ad Glauconem, & alibi etiam*, libro videlicet de plenitudine, lib. de cur. rat. per venæ ſect. & lib. 4. de rat. vict. com. in ſen. 19. in quibus locis hanc eandem, quam nos profitemur veram doctrinam vltrò, citróque amplectitur.

Tandem (quod magis eſt) etſi illorum lectio admittatur, *Et ſi plenitudinis ſigna adſint*, nihil herclè tunc Galeni auctoritas ad illorum rem, cum nec ipſorum partes tueatur, eò præſertim, ſi & libri, & capitis iugiter ſedulò exploremus inſtitutum. De febrium enim diariarum, inſtituit eo libro diſputare Galenus, curatione: quas aliquando ex leui obſtructione parari ſcribit. in qua, cum leuis ſupponitur obſtructio, citra ſanguinis effuſionē, ſola deterſione exolui, primis quarti capitis verbis, retur, verū ſi momentanea, ſeu effatu digna iam

fuerit obſtructio, quia impacti multi, craſſi, & lenti ſucci, cum morbus tunc ob illam momentaneam obſtructionem in alium ſpecie diſtinctum mutetur, conuerſa diaria in putridam, tunc, inquit Galenus, per deterſionem non poterit quis huius putridæ febris curationem promittere, cum prius, ſeu ante deterſionem ipſam, vacuatione per venæ ſectionem ſit opus: quia vt tranſpiret ille humor in momentanea obſtructione inculcatus, maiore auxilio, quàm fuerit deterſio, eget: & proinde, ceu cõferentius auxilium de venæ ſectione deliberat, dummodo prohibens aliquod non adſit, ætas ſenilis, aut infantilis, cruditas ventriculi, &c. Quare in hoc affectu, non propter morbum præſentem, qui febris diaria eſt, reſpuens ſanè ob eius paruitatem magnum illud auxilium, ſed propter morbi magnitudinem, febrem videlicet putridam, quam potuit generare magna cauſſa, venas ſcindimus. Et cum inter cauſſas numeretur multitudo, ſeu, ſi mauis, plenitudo, propter eandem, in quantum magna cauſſa, magnum pariter valens generare morbum, tunc haud dubiè venas, cum ipſo Galeno, tundemus. In hac igitur febri, propter multã cauſſam præſentem, & morbum imminentem magnum, ſanguinem mittimus. quod de reliquis putridis non licet affirmare, cum iam ex propria earum ratione formali ſint morbi magni, & quatenus tales magnũ per ſe indicant auxilium, & eumethodo in eiſdem, de venæ ſectione deliberamus. Quãobrem dicemus, etiam ſeruando temerariam Nouatorũ lectionem, Galenũ in illa diaria obſeruare plenitudinem, non in ſui ratione, verum quatenus cõtinet rationẽ formalẽ effectiuam morbi magni,

cum

cum efficiens cauſſa ſit metamorpheſis diariæ in putridam. Vnde ſemper erit verum, ſolam magnitudinem morbi ſcopum eſſe poſtulantem venæ ſectionem: numquam per ſe plenitudinem, cum nec hæc requiratur ad eius deliberationem, ſemper autem aſſiſtat, ceu præpoſitum, magnitudo morbi ius eſt.

Conuellitur altera Augenij lectio loci ex lib. 8. meth. deſumpti.

CAP. XX.

CEruicoſus Augenius cum nuſquã acquieſcat, nec quieta, quieta ſinat, inter reliquos, vt variis cauillis portentoſam illam tueatur opinionem, prædicta Galeni lectione Latina lib. 8. meth. c. 4. nõ contentus, alterã mox veritatem obſcurare intendit, & vnà Galeni germanam doctrinam euertere. hic itaque lib. 6. de cur. rat. per venæ ſect. c. 13. nouo figmento Legisſanctoris quaſi auctoritate, in textu Græco voculam apponendam eſſe arbitratur καταῤῥπτέον, Id eſt, purgandum. quaſi huius loci, ex eius mente, hic ſit ſenſus, Inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda eſt vena: ſi verò non adſunt plenitudinis ſigna, purgandum. verum cur purgandum, ſignat ex Galeno cauſſam, quia ipſe inquit, *præſtat vitioſi ſucci maiore parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere.* Videte quæſo huius viri, ſi intra modeſtiæ cancellos dicere fas, impudentiam: cum perturbet omnia, inuertat, futilia doceat, vana clamitet. Nos modò rem ſedulò explorenius.

De vocula illa καταρτιον quamprimum dicã, hanc à nemine (quod ſciam) aut vetuſtioribus, aut iunioribus doctoribus vnquam additam fuiſſe; in nullo codice Græco, aut impreſſo, aut manuſcripto vllatenus repertam: hinc probabile, commentitiam. Deinceps obſeruanda commenti probatio. nam hic vir, vmbratili coniectura, ex quorũdam doctorũ petita teſtimoniis, nititur illud ſtabilire: quod tantum abeſt, aut verbis, aut nutu quidẽ illud ſentiãt, quod omnes vnanimiter vniuerſam illam Galeni doctrinam ad venæ potius referant ſectionem. Sed hos ſcrutamini, Aetium inquam, Trallianum, Auicennam, & alios, omnes quidem inuenietis cum Galeno de venæ ſectione tãtum verba texere, nulla purgationis facta mentione. Neque moror in verbis Conſtantini monachi, aut Iacobi de Partibus; hos enim, quamuis doctos, contemplamur tamen eoſdẽ in opaco illo, ac denſo Arabum Barbaro ſæculo inhabitantes, & tantum diei crepuſculo fruentes, nos verò, cũ iã in noſtro horizonte, ſupra zenit, radiãtẽ Phœbũ Gal. habeamus, & clariori ac radiãtiori fruimur lumine, & eorum vices dolemus. quid quod & aſſentimur ipſis, ſi abſolutè loquantur, optimum eſſe malam materiam purgare, liceat modò cũ ipſis barbarè loqui. non tamen inde inferendum, Galenũ hoc docere in illã, quam modò replicamus, ſentẽtia.

Porrò illa Augenij lectio & Galeni reluctatur inſtituto in eo capite, in quo tantum vſum detergẽtium medicamentorum in febribus diariis inſtituit demonſtrare, tum & in eiſdem aliquando venę ſectionis vſum: neque in toto illo capite mentio aliqua catharticorum. Detergentium in diaria, ex leui obſtructione: venæ ſectionis prius, mox & detergen-

gētiū, in altera ex momentanea, & effatu digna obſtructione. Nec nobis ſcopus ab his febribus cathartica retrahere: verum, quod huius auxilij in eo capite non doceat vſum, ſed & detergentium, & venæ ſectionis tantum. quæ vtraque auxilia priùs exercenda veniunt in febrium curatione, vltimò in morbi declinatione, cocta iam materia, cathartica.

Denique arguendus Augenius, cum confirmet commentum illis Galeni verbis, *quia præſtat vitioſi ſucci maiore parte emiſſa &c.* hinc infert ex Galeno, quod ſuccus vitioſus qualitate, ac cacochymus, ſola purgatione educatur, vti multus ſola venæ ſect. quaſi non conſtet ex plurimis Galeni locis vitioſum ſuccum qualitate etiam commodè educi poſſe, & per ſectionem venę, haudquaquam ſemper cathartico, vt mox oſtendemus. Verum antequam rem hanc ordiamur, iſtud perfunctoriè velim Augenius animaduertat, quod ſi eius ſectio eſſet vera, & Hippocrati, & methodo, & ſibi ipſi aduerſaretur Galenus. Nam quis mentis compos in Galeni doctrina exercitatus in hac febre, aut alia ſimili, pri catharticum largiretur, mox eo medio, maiori parte vitioſo ſucco emiſſo, ad detergendas obſtructiones accederet? cum Hippocrates dicat, cui fidem ſemper aſtruit Galenus, *concocta medicari*: rurſus, *corpora cum quis purgare voluerit, fluida prius facere oportere*. Si igitur adeſt obſtructio, humor haudquaquam coctus, imò tenax, & craſſus: nec fluidū corpus, continens ac contentum. Abeat igitur Augenius, nec tantum crimen noſtro clariſſimo imponat Galeno. Sed ad pēſum redeamus, & vitioſum qualitate ſuccū commodè itidē, & venę ſect. emitti

oſtendamus. Galenus li.9.meth.ca.11.quo vnico loco nos modò ſimus contenti, propter eiuſdem ſingularem perſpicuitatem, ſic eloquitur, *Nam quoniam hac* (videlicet venæ ſectio) *ſanguinis vacuandi cauſſa adhibetur, ſanguis autem inutilis naturæ eſt, vtique probè hanc adminiſtrari conueniet, ſic vt quod inutile naturæ ſit, emittat*, &c. Quòd ſi Augenius inſurgat, dicendo Galenum loqui hoc loco de ſanguine potius naturæ ſua quantitate inutili, cui libenter ipſe conſulit venæ ſectionem, non de vitioſo ſucco, & qualitate inutili. Galenus illicò huic obiectioni occurrit. nam poſtquam ſanguinem in quantitate, & qualitate inutilem diuiſerit ipſe, illicò demonſtrat, etiam in vtroque vitio maximè præſtare venæ ſectionem, cùm dicat, *Ac in iis quidē miſſio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorū vna*, &c. Quod relatiuum iis, vel refertur ad vtraq; plenitudinem ad vaſa, & ad vires, de quibus loquitur, cum vitia in quantitate explicet: vel refertur ad principalem diuiſionem ſuccorum, in quantitate, vel qualitate peccantium. non de prima illa, nam mancus eſſet Galenus, cum non docuiſſet quid præſtandum in vitio in qualitate, alterum membrū diuiſionis. cūque in eo capite cuncta quæ ad hanc ſpectant doctrinam apprimè luſtret, credēdum non eſt, virum hunc diuinum in hac parte defeciſſe. & vt à libris methodi non diſcedamus, conſtat & hoc idem ex lib.5. meth.ca.14. nam cùm traderet pulmonis vlceris curationē, ex vitio in qualitate ſanguinis orti, docet ſanguinē hunc, citra plenitudinem huiuſmodi exiſtentem, venæ ſectionis beneficio minuendum. cuius verba ſi ſedulò Augenius ipſe perpendat, hauddubiè, omni depoſita cōtuma-

tumacia, à deteſtabili eius errore abſcedet; huius autem hæc ſunt præclata verba, *Quicunque parum habere ſanguinis videbuntur, iis ad quendam ſuccum probiorem (ſicut prædixi) reductis detrahere ſanguinem poteris, tum rurſum reficere.* Mox inqui, *Sanguinem autem mittere, potiſſimum quibus veluti limus quidam vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis. At qui validi ſunt, multique ſanguinis, iis ſtatim à principio eſt detrahendus.* Hactenus Galenus. In hac admirabili verborum ſerie plurima ſe offerunt omni encomio digna, & quæ radicitus horum Nouatorum figmenta, & hoſtilia commenta ſupplantant. Inprimis, quod nunc demonſtrare propoſuimus, in vitio in qualitate licere, imò ius aliquãdo venas ſcindere, adſtantibus pariter vtriſque ſcopis, magnitudine morbi, & robore virium. Ille præſens quidẽ, quia pulmonis vlcus, ſine controuerſia magnus morbus: hic, cum ſcribat, *Quicunque parum ſanguinis habere videbuntur*, verum non adeſſe robur virium hæc verba innuere ſit probabile, quia in hac paruitate ſanguinis, & huius vitioſi haudquaquam robur aderit virium. verum cum ſtatim ſubiungat, *iis ad quendam ſuccum probiorem reductis*, credendum eo medio vires augeri, & ſufficientes fieri ad ſuſtinendam venæ ſectionem. vires enim haud dubiè recreantur, & vegetiores fiunt hauſtu alicuius probi ſucci. quibus recreatis, haudquaquam ad plenitudinem reducto ſanguine, cum & morbus ille poſtulet, venas tundemus. Hæc curatio ἐπίκρασις, à Galeno vocatur li. 9. meth. ca. 10. quando paulatim vitioſum vacuamus ſuccum, inque locum eius etiam paulatim probum reponimus. Admittit autem venæ ſectionem hoc vitium in qualitate non per

ſe, verũ per accidens morbi rationẽ. cacochymiæ enim potius, & magis adæquatè debetur purgatio, quod vitiũ in miſtione ſuccorũ dicitur: aliud autẽ vitiũ ſanguinis in qualitate vtrũque auxiliũ promiſcuè reſpicit, purgationẽ, ſi omnimoda fuerit ſanguinis corruptela, in totũque à ſua idea mutatus, vt dicebat Gal. li. 6. Epid. com. 4. ſen. 43. venæ ſectionẽ autẽ, ſi vicerit ſanguis ipſe, ſuãque ſeruarit ſpeciẽ, vt ibidẽ, & li. 4. de tuẽd. valet c. 10. idẽ retur Gal. Hic enim ſanguis, venæ ſectionis beneficio imminutus, à natura ipſa facilius multò perficitur, & in probiorẽ ſuccũ reducitur, cũ valeat iã à natura gubernari. in hac itaque hypotheſi propter vacuationis ſcopũ, illũ præſertim dettrahit Gal. vt imminutus vitioſus, & in probũ redact⁹ ſuccũ, nec foueat, néve augeat ipſum vlcus. eo enim auxilio (etſi per accidens) vitioſa qualitas emẽdatur, quæ valens erat vlceri ſubiacentes partes erodere, vnà & ſubſtantia ſanguinis perficitur, & exinde optimũ fiet ſarcoticum. Quare ob vnicũ hunc vacuationis ſcopũ, conceditur venæ ſectio in hac hypotheſi, nulla pręſente plenitudine, imò paruitate ſanguinis, cũ aliquo ſimul robore viriũ. Præclarè igitur cõuincitur amic⁹ noſter Augenius, huius veritatis acerrimus impugnator, cũ ibidem Gal. conſular, nõ ob reuulſionẽ, cũ nullus ibi ſanguinis motus, ſed ob vacuationem tãtum in hoc magno morbo iſtud auxilium.

Tandem ex hac ſententia illuſtrior adhuc fit illa, quã ſuprà ex Gal. tradidimus, methodus, in morbis magnis à materia humorali (ſi hoc vocabulum ſatis placet) pendentibus, etiam citra plenitudinem venas tundamus. quod ſi vires robuſtæ nec recreari teneantur, neque reducendus multus ille ſuccus

in probiorem ſtatum, magno itidem exiſtēte morbo, tunc ſtatim, ſeu vt alibi protinus, aut ſine diſcrimine venæ ſecandæ veniunt. quod apertè innuit Galenus vltimis illis capitis verbis, dicens, *At qui validi ſunt, multique ſanguinis* (quaſi hæc duo facilè in vnum concurrant) *iis ſtatim à principio* (ſeu ſine diſcrimine) *eſt detrahendus.*

Quamobrem, vt ad id vnde fluxerat oratio, reuertamur, dicendum eſt aduerſus Augenium, licere ex Galeni mente, etiam vitioſo in qualitate exiſtente ſanguine, poſtulante tamen morbo venæ ſectionem, hanc exercere: purgationem autem ab hac Galeni ſententia protinus reiiciendam & vti piaculum, ſciſſionem venæ tantum præſente plenitudine præſtandam; ſic alienum à ratione, ſuccum qualitate vitioſum, tantum purgationem poſtulare, cum ſæpè & venæ ſectione tollendus, ſi morbus præſens, aut imminens, eandem poſtulauerit. Hinc Galenus lib. 13. meth. c. 6. cum plethoram à cacochymia ſepararit, & vtrique ſua propoſuiſſet adæquata auxilia, ſtatim infert, *Siquidem ſi iam febricitet æger, nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec vnctione quæ excalefaciat, ſed nec multa frictione, nec balneo, imò ſanguinis miſſione, vnà cum inedia, vel purgatione aliqua &c.* Ex hoc igitur loco manifeſtum fiet, poſtulante morbo, qualis putrida febris, ſiue à cacochymia orta, illa auxilia conuenire ad leuandā naturam à ſarcina humoris quantitate, aut qualitate peccantis. Illa autem ſunt quāprimū venę ſectio, hæc enim inter cætera & tutò, ac citò exuperantiam illam, ac ſarcinam deponit. mox inedia, tandem purgatio. Eleganti itaque ordine illa tria nobis proponit auxilia Galenus: & primò ſectionē venæ, iuxta illam vniuerſalem eiuſdem ſenten-

tiam lib.11.meth.ca.15. *Qui febricitant ſi valentes viribus ſint, omnibus ſanguinem ab initio*, ſeu vt legit Paullus protinus, & quamprimum *mittes*. Iam rurſus inediam, quia in morbis magnis, ex Hipp. lib.1. Aph. ſentent.7. tenuis requiritur victus, & tanto tenuior, quanto fuerit morbus acutior, & copioſior ſanguis, quia æquè omnes humores vacuat, vti venæ ſectio. Tandem purgationem vltimo loco proponit, quaſi & vltimo loco, peracta humorum coctione, exercenda. purgationi adiunxit *aliqua*, aut reſpiciens auxiliorum purgantium materiem, quaſi non omnis idonea ad educendos in febribus humores, ſed præſertim illa, quæ citra calorem vel quàm minimum ius ſuum exercent: aut rurſus vtendi modum, cùm alia per aluum, per vrinas, vomitum, aut per aliam quamcunque partem humores vacuent. Conſtat igitur ex his vberè, venæ ſectionem in vtroque vitio principatum obtinere, ſi morbus huiuſmodi auxilium poſtulauerit, qualis febris omnis putrida in ſui ratione.

Tuetur & noſtra prædicta interpretatio loci 8. *meth. aduerſus quendam Neotericum.*

Cap. XXI.

Poſtquam à fumo Augenij nos liberauimus, iam ad flammam alterius Nouatoris Bernardi, inquam, Caxanes, nolentes rapimur. ille capitis inſtitutum inuertit, perturbat ſententiam: iſte idem proſequitur munus. diſparantur circa media, conueniunt in fine. cunctorum errantium hæc labes, diſparilitas, & diſcrepantia adinuicem. Veritas autem

tem cum vno conuertibilis, vnum verum, & verum vnum: veritatis æmulatores concordes, vnanimes. Neotericus itaque, vt rem ordiamur, in hoc capite arbitratur ſermonem inſtituere Galenum de his, qui plenitudinem aceruant ſanguinis craſſi, & glutinoſi: multitudinis verò ratione, tantum conſulere venæ ſectionem, non autem vitium in qualitate ſupponere, in quo locum non habet venæ ſectio: hinc illud, &, ſi, diſiunctiuè legendum retur.

Cæterum aduerſus hunc virum conabor ſtruere Galeni inſtitutum, in eo videlicet capite duntaxat agere de bilioſis naturis: quo iacto fundamento, ruet opinio, cum in his naturis, etiam peccante ſanguine in qualitate, venæ ſectionem ſuadeat ſeriò ipſe Galenus, et ſi (coniunctim ſumptum) plenitudinis non adſint ſigna. Rem ſedulò ſcrutemur.

In hoc capite Galenus, vt ſuprà diximus, de febribus diatiis diſputat, & earundem curandi tradit rationem. cúmque has ex obſtructione parari ſupponat, eos diſtinguit ex magnitudine vel paruitate obſtructionis. quam diſtinctionem obſeruatione ita cenſet dignam, vt curatio pariter omni ex parte diſtinguatur ad inuicem. nam quæ leuem obſtructionem habet cauſſam, ſolis detergentibus ſanari apertè ſuadet, quia & leuis morbus, & leuis nihilominus cauſſa: contra verò quæ momentaneam, ſeu effatu dignam, cùm & magna actu cauſſa, magnus itidem & morbus, ſeu magnus futurus timetur, maiori acceſito auxilio & venam prius ſecabimus, & rurſus tergem⁹. cauſſa magna multitudo, craſſities, lentities, quam ibidem ſupponit Galenus effatu dignam, & momentaneam parantem obſtructionem: qua cauſſa poſita neceſſariò ponendus & magnus

effectus, putredo magna, magna itidem febris. vnde, inquit Galenus, mutatur tunc morbi ſpecies, quia quæ primò diaria, iam tunc intra diariarum carceres nequit conſiſtere. quia ſupponit in mali ſucci naturis hanc contingere, in quibus neceſſariò & morbus fiet magnus, magnum requirens iugiter auxilium: proinde in hac vltima febris ſpecie venæ ſectionem ſeriò conſulit, etſi plenitudinis ſigna non adſint, verum ſola mali ſucci copia. Inſinuat iſtud palàm Galenus, cum dicat, in hiſce naturis vitioſis fieri nequit, quòd momentanea aliqua obſtructio, ſeu effata digna, ex multo, craſſo, ac viſcido humore orta, generetur, quin putredinem ipſe vnà contrahat: ſecus arbitratur in inculpatis naturis ratio, quia in his vitioſis, ob corporis diſpoſitionem maximam, & vnà humoris in accenſione facilitatem, neceſſariò protrahitur febris, qua producta, ſuſpecta redditur an egreſſa diariæ carceres, iam fines putridarum attingat, quamuis in pulſu adhuc putredinis indicia non appareant. Et quod, per hanc vitioſam naturam, quam eo capite ſupponit Galenus, billioſam intelligat, calidam & ſiccam, & in qualitate peccantem, aduerſus Nouatorem quendam facile nobis erit demonſtrare, præſertim ſi prima capitis verba replicemus, quæ huiuſmodi, *Quod ſi & multi, & craßi, & glutinoſi impacti ſucci ſint, quæ hos excipit febris, &c.* In qua oratione ſi relatiuum illud, *hos*, obſeruemus, neceſſariò ad eos, de quibus ſuprà facta fuit mentio, referri conſpiciemus, & cum nullos aſſignet in tota illa præcedenti oratione eiuſdem capitis, referri ad illos, de quibus mentio in altero immediatè præcedenti eſt neceſſe. & cum in eo præcedenti capite, etiam vt fatetur

iſte

iſte Neotericus, vt eius dictis ſtemus, de febribus loquatur in naturis biliosis. Ergo neceſſariò illud relatiuum *hos*, referendum ad bilioſos. eò præſertim cum neque in toto eo capite alteram ſignet naturam Galenus, ad quam illud queat referri. Hæc ratio vinclis Hippocraticis eſt alligata. quid quod & cum capitum in libris Galeni diſtinctio ab interpretibus fuerit facta, proinde illud *hos* non amplificat, ſed texturam proſequitur ſeriei. vnde & nos videmus aſſiduè in Galeni operibus relatiua vnius capitis, antecedentia præcedentis reſpectare, neque lubet modò rem per ſe notam exemplis luſtrare.

Præterea (quod maximè huic probationi addit colophonē) idem & aliis Galeni verbis paullò infrà poſitis, & à ſuperioribus citatis, demonſtratur. verba hæc ſunt, *Nam in aliis ſaltem temperamentis, quæ in ſequentibus exponam: excitari ex tali cauſſa poteſt, citra humorum putredinem, aliqua continentis febris ſpecies, &c.* his itaque eandem in hoc capite proſequutum fuiſſe materiem abundè declarat, quam nuper in ſuperiori capite diſputandam inceperat. Quare cum ſuprà de naturis egerit bilioſis, & promiſerit ſe conſequenter, ſeu in altero ſubſequenti capite, quod nunc illuſtrandum proponimus, etiam hanc diſputationem de febribus diariis, in aliis à bilioſis exponere naturis, hauddubiè & veriſſimum, & infallibile in hoc de vitioſo ſucco in naturis bilioſis febrem excitante verba texere.

Tandem & tertiò confirmatur & aliis primis verbis capitis ca. 5. huic ſequentis, quorum hæc ſeries, *Quoniam igitur diaria febres in propoſitis corporum*

temperamentis ſæpenumerò etiam ciborum cruditatibus ſuccedunt, proximum fuerit de ipſis differere. Ergo peſſima quidem in eiuſmodi temperamentis cruditas eſt, citiſsimeque febrem accendit, in qua cibi in nidorulentam, & fumoſam qualitatē corrumpuntur. quando ea quæ in acidam vertit, vt rarò talibus naturis contingit, ita minus nocet. Ex his vberè conſtat, quàm maximè comprobatum noſtrum hoc inſtitutum: nam cum dicat, ciborum cruditates in propoſitis corporum temperamentis ſæpenumerò ſuccedere, certum eſt de propoſitis illis loqui temperamentis, de quibus iam egerat capite ſuperiori. Rurſus cum dicat, in hiſce temperamentis peſſimam cruditatem, hancque febrem concitatè accendere, haud dubiè & certum de bilioſis loqui naturis, quæ inter vitioſa ſola calida. hæc enim corpora propter ſymbolas qualitates, quas obtinent cum ipſa febri, facilè à quacumque calida cauſſa febri corripiuntur. Porrò, & quod de his bilioſis ſit ſermo, facilius adhuc eſt conie&tari ex reliquis quæ mox ſequuntur verbis, cum ſcribat, In his cibi in nidorulentam, & funoſam qualitatem corrumpuntur: tum, quod in his naturis rarò cibi illi in acidum vertantur. quorum effectuum ratio facilis, quia vti acidum, temperamentum ſequitur frigidum, ſic nidorulentum, & fumoſum oppoſitum, calidum, & bilioſum, quaſi ſit huius intemperiei inſeparabile ſignum, teſtante Galeno lib. 2. de Temp. cap. 9. Quare ex his elucet palam, quod Galenus hoc 4. cap. agat de curatione febrium diariarum in bilioſis temperamentis: in quibus, ſi obſtructio aliqua momentanea & effatu digna, iam febrem reddens diuturniorem, & ex diaria putridam, citra plenitudinis præſentiam venæ ſectio-

ſectionem conſulit, ob morbum magnum, iam imminentem. Quæ vera ac legitima huius loci interpretatio eſt.

Sed iterum vrget Neotericus, aduerſus quem noſter hic habetur ſermo, itaque Galenum potius de omni natura agere in vniuerſum, in qua ſucci multi, craſſi, & lenti adſunt, neque peculiarem ibi ſignat naturam.

Verum iſtud veritati non adridet, vt demóſtratum nuper. quòd ſi forte verum, ſub vniuerſitate illa vnà cótineretur biliofa natura; ſimul affectiones illæ multitudinis, lentoris, & craſſitiei, à quibus ſingulis promiſcuè; vel ſimul iunctis obſtructio illa momentanea generari potis: tum, propter biliofæ naturæ conditionem, ac aptitudinem, putredine ipſa contracta, facillimo negocio in febrẽ accendi, vt declarat Gal. lib. 1. de feb. diff. c. 4. & 5. tã reſpectu materiei putreſcentis calidę, quã loci itidẽ calidi. Humores enim calidi quales ſãguis & bilis, ſi optimè non tranſpirent, promptiſſimè putredinẽ contrahunt: frigidi ſecus, pituitoſi videlicet, & melancholici: rurſus, qui temperamento fruuntur calido, citius adhuc & à putredine prehenduntur febri, ſecus qui frigido, quia in his locus aptus non eſt, putredinis nihil minus efficiens cauſſa. Et quãuis in bilioſis naturis, in quibus ob bilis redundantiam, febris pariter accenditur bilioſa, obſtructionis initium, haudquaquam à bile, ob eius tenuitatem, valente potius à farctu liberare (vt quidã, nec fortè ſeriò affirmãt) imò à craſſo, vel viſcido ſucco: tamen ab his humoribus ſaltem, vnà cum ipſa bile permiſtis, reliquos ſẽper lõgè ſuperante bile, haudquaquam dubium, quod magna non poſſit gigni

obſtructio, magnâque per conſequens febris putrida, quæ typum ſemper bilis referet, præſertim cum (vt diximus) tales ſucci vitioſi in prædictis bilioſis naturis aptiores multò ad putredinem contrahendam, niſi difflentur aptè, quàm in reliquis temperaturis, ſanguinea tantum dempta, quæ ſub qualitate vitioſi ſucci non continetur. Neque autumandum bilioſam aliquam ita exquiſitè eſſe naturam, vt ſimul nequeat in ipſa, aut alicuius ſaltem externę cauſſæ interuentu, viſcidorum & craſſorum humorum aliqua aceruari copia, vt idem ipſe Galenus citato cap. 5. huius meth. libr. 8. ſupponit, dum ſæpè numero ciborum cruditates accedere in hac bilioſa natura per ſuppoſitionem ſtatuat, ex qua cruditate quis hæſitabit pituitam, excrementitiam ſaltem poſſe exoriri, & per vaſa ſupra iecur iugiter raptam, diſpergi? Hic igitur Galeni ſenſus, hæc mens; ſecus autem, ac præter veritatem Neotericus ille, Augenij figmentis deceptus, ac argutulis ſtrophis.

Verùm adhuc ceruicosè, ac importunè altero medio eius opinionem fulciri contendit, dicens, ſanguis qualitate vitioſus non eſt venæ ſectione educendus, imò multus. cúmque Galenus hoc loco inter cauſſas obſtructionis multitudinem præficiat; hinc non quia vitioſus ſanguis, verùm multus, venæ ſectionem præſcribit: qua ablata multitudine, melius reliquus tranſpiretur, & æger ab inchoata vindicetur putredine. Præterea cum vitioſus iſte ſuccus, qui ſimul cum multitudine ſupponitur, intra vaſa contineatur, hauddubiè in apertione venæ, vnà cum ſanguine, aliq[illegible] eius portio, nec minima educetur. vnde ex hoc ſingulari auxilio ſubſeque-

ſequetur vtilitas, multitudinis per ſe vacuatio, & cacochymi ſucci per accidens imminutio.

Vir iſte, quamuis doctus, ſi rem hanc replicaſſet probè, ſibi ipſi impar non eſſet, nec veritati oppoſitus. Si enim cum maximo commodo licet (vt fateris) vacuare per venæ ſectionem ſuccos qualitate vitioſos, multitudini coniunctos, etiam in naturis bilioſis: cur ſimpliciter negas, etiam poſtulante morbo magno, ſanguinem qualitate vitioſum non eſſe per venæ ſciſſionem educendum? cum (vt abundè ſuprà demonſtratum eſt) illud auxilium nullatenus deliberetur propter multitudinem, aut ſanguinis, aut alterius cuiuſque ſucci vitium: verum primò & per ſe propter morbum magnũ præſentem, vel imminentem, qui auxiliorum primum ac præcipuum indicans eſt, huiúſque remedij vnicus poſtulans ſcopus, ex Gal. lib. 4. meth. cap. 6. Sanguis autem qualitate inutilis indifferenter ſe habet, vt talis, non morbi ratione, ad purgationem, & venæ ſectionem. neque vtilior eſt, vt inſinuàuit Galenus doctiſſimo illo com. in libr. 1. de hum. ſen. 12. in vitioſis ſuccis purgatio, quam venæ ſectio, cum indifferenter, pro diuerſa methodi ratione vtraque recipiantur auxilia. Malè igitur Neotericus iſte ſimpliciter pronuntiat ad multitudinem illam vitioſi ſucci ſanguinem eſſe mittẽdum: quaſi & multò tutius aliquando non lubeat, eandem, & purgatione tollere: vti etiam & per ſe venæ ſectio valens vitioſum vacuare ſuccum, vt & lib. 9. meth. cap. 11. dixerat Galenus & citato de humoribus loco, & alibi paſſim.

Tandem tuetur & iſte altero leuiſſimo me-

dio, Galenum eo capite de naturis bilioſis non diſputare, eò quòd de mulſa ſit facta mētio ad abſtergendam obſtructionem, lentorem incindendum, craſſitiem attenuandam: quod remedium è calidis ac ſiccis naturis, bilioſis inquam, ob humoris tenuitatem citra craſſitiem, atque lentorem, cenſetur noxium. carent itaque huiuſmodi indicantibus bilioſi ſucci.

Elumbem hanc rationem hoc ſolo medio conuellere facilè. Galenus lib. 1. Aphor. ſen. 24. in turgenti materia, quæ valdè tenuis, neceſſariò & calida (aliter enim nec ad motum ita vehementer concitaretur, nec per varias corporis partes gliſceret) mellicratum cōſulit, in quo decoquatur hyſſopus, origanus, aut tragoriganus, thymus, aut pulegium, aut denique id genus aliquid humores tenuās: quę omnia & febrē ſuccreſcunt, calidiores, & acriores pariter turgentes reddūt humores: cur igitur, & in bilioſis naturis, propter alios, quos adfectat ac reſpicit varios ſcopos, mellicratū, ſeu mulſam (quod ſanè idem & cum hydromelle) non proponet ibi Galenus? maius enim commodum ab hiſce paratur medicamentis, ob viarum reſerationem, meatuum vaſorum apertionem, ſuccorū attenuationē ac inciſionē, quæ in obſtructionis loco ſeruantur, imò & hæc cuncta neceſſariò ſubminiſtrant huic vrgenti, ac reliquis itidem purgationibus: quam noxa à caliditate illorum excitata. Quare hoc methodi loco mulſam conſulit, non vt attemperetur bilioſa natura, & humoris prima illa qualitas calida, verum vt emendetur ſecunda, craſſities ac viſciditas eius, qui abundat, & obſtructionem parat humoris, corpus vnà fluidum reddatur, apertis vaſis

vaſis, reſeratis meatibus. Vnum enim idémque ſpecie auxilium plures poſſidere ſcopos nihil vetat. cúmque in eôdem humore bilioſo adhuc aliqua poſſit reperiri craſſities, aut ob aſſationem contracta, aut ob miſtionem alterius craſſi humoris connexa, & vtroque modo obſtructionem parare, cur ob varios iſtos ſcopos non licebit mulſam propinare? imò vrgebit ſanè. nã in omni purgatione ſiue reuulſiua, ſiue vacuatiua, ſiue, vt barbarè cũ barbaris loquamur, minoratiua, aut eradicatiua, cõtinẽtia, & cõtẽta corpora, cũ Hip. l. 2. Aph. ſen. 9. pri⁹ fluida facere oportet. aliter enim, inquit Gal. in com. ægrè, moleſtéque purgatio omnis procedet, cùm ventris torminibus, vertigine, anxietate maxima, pulſus deprauatione, ac interdum corporis ſolutione, ac difficultate. Videant amabò ex his incommodis, nec leuibus ſanè, quàm neceſſarium ſit, præcedant ad purgationem præuiæ illæ diſpoſitiones, non in humoribus tantum, verum in vaſis. quod idem eleganter, & illo turgentium exemplo, clariſſimus illuſtrat Galenus.

Plenitudo, & fluxio, citra morbi magnitudinem per ſe indicantia ſunt venæ ſectionem, Augenij opinio.

Cap. XXII.

ACerbè perdoctus Augenius veritatem arguit, quam nos ſuprà Hippocraticis vinclis adligatam oſtendimus, nimirum quòd venæ ſectio nõ indicetur, nec à plenitudine, aut fluxione, aut aliâs. quia deliberatur potiùs ceu auxilij materies, ad quã

deliberationem aſſiſtat oportet morbi magnitudo, ceu ſcopus. Aduerſus hanc trutinatam doctrinam temerè aggreditur, tum lib.2. c.8.& 3. de curatione per venæ ſect. c.4.& 5. & variis mediis, Galeni auctoritate, & ratione eandem conuellere animo præſumit. Nititur itaque probare, haudquaquã à morbi magnitudine, vt ſenſerat, & ignauè pariter doctiſſimus Alexander Maſſaria, verum à plenitudine, & fluxione venæ ſectionem indicari: iſtud demonſtrat quamprimum Galeni auctoritate, deſumpta ex lib.2.de comp.med.ſec.loc.c.1. quo loco hęc fatur, *Contingit autem non parum ſæpè, in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam circa cerebrum & membranas, eiúſque partes abrumpantur; quod vbi contingit etiam amplius capitis dolor inualeſcit; ipſáque affectio, ceu ægrè curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet. Optimum itaque fuerit in his, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat à venæ ſectione curationis principium ſumere, &c.* Ex huiuſmodi Galeni verbis infert Augenius, Galenum nulla præmiſſa magnitudinis morbi, in communi, aut in genere obſeruatione, verùm dolore tantum æſtimato à fluxione ſanguinis ortò, ad capitis membranas irruente, venæ ſectionẽ cõſulere. & per conſequens inquit, quod citra morbi magnitudinem, ſolus ſanguinis motus illud auxilium indicet. quam rem & aliis pariter, ac plurimis Galeni locis confirmat, cum paſſim ipſe in inflammationum curationibus, ſolum, ac ſemper occaſionem arripiat tundendi venas in earum principiis à fluxione, impetum faciente ad partem iam inflammatione obſeſſam.

Verùm, vt ſtrenuè adhuc ſuam tueatur opinionẽ,

tacitæ

tacitæ cuidam obiectioni, quæ eius vim infringere poterat, prius ſatisfacere contendit. Dicet igitur quis, citato loco Galenum, quamuis non explicitè, implicitè ſaltem morbi magnitudinis recordari, cum dicat, *Si affectio ægrè curabilis redditur, & periculum ingens ac præceps imminet*, quæ certè verba de morbo magno dicuntur. Satisfacit idem Augenius his, dicens, quamuis verum affectum illum magnum, tamen Galenus, non propter eius magnitudinem in genere ſumptam venas ſecat, ſed propter magnitudinem in ſpecie à fluxione ſanguinis procreatam. Vnde concludit Galenus, quod in cunctis inflammationum differentiis curationum initium à venæ ſectione ſumatur, & hoc, quia tunc influente ſanguine, principium curationis à parte fiente, quæ reuulſionem poſtulat, petendum eſt, vt idem Galenus fatetur libr. 13. method. cap. 6. dicens, *Quæ verò adhuc in generatione ſunt, in iis prior vacuatione, eſt confluentis ad affectum locum ſanguinis inhibitio.*

Præterea & ratio, qua idem Augenius ſuam opinionem nititur confirmare, eſt huiuſmodi. Si ob ſolam magnitudinē adminiſtratur ſanguinis miſſio, in citato capitis affectu, exiſtente ægrè ſanabili, & ingenti: ergo in inflammatione pericranei, ceu facilè ſanabili, ac citra præceps ac ingens periculum, explodēda venę ſectio. Sed iſtud abſurdum, cum in omnibus imminentibus inflammationibus, aut iā incipientibus, citiſſimè ab affecta particula retrahendum, idque venę ſectione. Ergo propter hāc reuulſionē tātū hoc auxiliū ſuſcipitur, nulla obſeruata morbi magnitudine in cōmuni, ſed ſola fluxione.

Concludit itaque ex his, in venæ ſectione reuul-

ſiua, à fluxione ceu altero indicante per ſe illud auxilium indicationem ſolummodò peti. Rurſus, & hoc idem ſtatuit, etiam in vacuatiua, à ſola plenitudine indicata, tanquam altero indicante, per ſe, quod Galeni iugiter auctoritate demonſtrat, ab eodem li. 2. de comp. med. ſec. loc. c. 1. extracta, quo loco, in capitis doloribus cum febre ingraueſcentibus, nulla magnitudinis morbi mentione facta, ſed ſolius plenitudinis, venæ ſectionem pariter conſulit: tum mox, etiam & eodem capite, in dolore capitis à vaporum, aut humorum multitudine, propter totius corporis repletionem exorto, ipſo enim vniuerſo corpore vacuato, dolor capitis ſanandus eſt.

Porrò & altero Galeni loco poteſt & hæc Augenij opinio roborari, inquit enim lib. 4. meth. ca. 6. *Sanguinis miſsionem, vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem adhiberi.* Quo loco, cum illa particula disiunctiua, *vel* vtatur, credendū, ipſius mentem eſſe, quod in ſola redundantia citra magnitudinem morbi vena ſcindenda ſit. Quare ex his palàm conſtabit, propter vtroſque, tantum ſcopos, ſiſtendæ, videlicet, fluxionis, tum vacuandæ plenitudinis, ſanguinem eſſe hauriendum; haudquaquam ob morbi magnitudinem: cum in plurimis morbis magnis, etiam illud prætermiſerit auxilium Galenus.

Hæc ſunt de hac re Augenij figmenta, hæ nugæ.

Reſtin-

Reſtringitur prædicta Augenij opinio, & firmatur oppoſita.

CAP. XXIII.

CVm hanc Augenij opinionem, commentum potius, contemplor, non demiror ſolum, verum obſtupeſco: virum ſcilicet hunc doctum, & de re Medica benè meritum, in hoc offendiſſe lapillo, in tanto ſimul errore verſari. Nam quis vnquam, aut tyro, aut leuis corde, citra magnitudinem morbi præſentem, vel certò futuram, temerè fuit auſus aſſerere, ſanguinem eſſe hauriendum? Teſtatur enim Hippocrates, in omni Medendi doctrina dictator ſummus, oppoſitum, teſtatur Galenus eiuſdẽ facultatis alter phœnix, teſtatur & idem vniuerſa Medicorum exedra. conſcij omnes, ceu ſcopũ huius auxilij, morbi magnitudinem proponunt ſeriò: quam & primam ſyndromen eiuſdem auxilij appellat Gal. lib. de curandi rat. per ven. ſect. c. 9. Si igitur ſcopus, & prima ſyndromes, ergo in omni venæ ſectione neceſſariò ac ſemper morbi magnitudo in genere, adſit ius eſt. Scopus enim, ſeu res abſtracta in mente artificis, ſub ratione naturæ vniuerſæ intelligitur. morbi igitur magnitudo quatenus ſcopus, ſeu propoſitum in mente artificis, quo mouetur ad deliberandum de auxilio, reapſe res vniuerſa, & tunc diſtinguitur per ſuam rationem formalem à morbi magnitudine, quatenus indicat, etiam in vniuerſum magnum auxilium. neque propter aliquam ex his formalem diſtinctionem, valẽs eſt aliquoties venæ ſectionem indicare. quia materies remediorum non indicatur. quid, quod & id

ꝙ indicat pro ſui ratione vnum,ex Gale. lib.9.c.14. & 11.meth.ca.13.illud vnum ſemper indicat. Si igitur morbi magnitudo indicaret venæ ſectionem pro ſui ratione vnum,hoc vnum ſemper indicaret, & cogeremur ſemper hoc vnico auxilio morbos omnes magnos ſanare.quod piaculum. falſa igitur Augenij opinio, cum venæ ſectionis indicantem perquirat, & falſa itidem Alexandri Maſſariæ, cum hoc indicans morbi magnitudinem ſtatuat.His itaque omni Mercurij quadratura firmioribus optimè conſtitutis, proculdubiò commentitia illa Augenij ſuprà relata,ruent omnino,concident.

Altera denique ratione ex methodo petita Augenij impugnemus opinionem. Tria nobis ſe offerũt obuiam præter naturam, vt tetur Galenus lib. de ſympt. diff.capite primo morbus,eius cauſſa,ſympt. hoc quatenus germen morbi nihil indicat, niſi illud inutile, quatenus, præter naturam, ſui ablationem: verum cum tollatur ad ablationem morbi, nihil indicare fatendum. quando autem habet rationem cauſſæ, quatenus talis, ex Galeno libro duodecimo method. capite primo. Indicat ſanè. relinquuntur itaque morbus, & eius cauſſa. ille curationem indicat, hæc præcautionem; vtrumque per oppoſita. hæc petuntur ex ſcopis, qui poteſtate exiſtunt in corpore, & mouent cæteras cauſſas ad agendum, vt actu fiant. vt hoc conſequatur, requiritur quod facultas auxilij adæquatè reſpondeat ſcopo exiſtenti in corpore.

Rem luſtremus exẽplo in magna inflãmatione, quamprimũ fluxio quę adeſt in ea,& à qua inchoãda curatio,ceu cauſſa, poteſtate cõtinet ſcopum retra-

ctionis, vt actu verò hoc fiat, requiritur auxilium, quod facultatē habeat adæquatē fluxum illum retrahere: ad deliberationem autem huius auxilij aduocanda methodus, quæ paratur per præpoſita, ſeu ſcopos adſtantes, & per varias indicationes. horum prima, ac præcipua, ceu methodi carcer morbus eſt: ab ipſo enim primò auxilia indicantur, & ab ipſo itidem, ex Galeno libro vndecimo Meth. cap. decimotertio, nos ad præſidiorum materias peruenimus. hunc ſequitur eius cauſſa; quamuis ei prius occurrendum, cùm nequeat tolli effectus, præſente, & operante ipſa. Indicat autem ſemper ipſa cauſſa, quatenus morbum efficiat; vnde quatenus indicat, morbum ſemper in ſe includit, qui primò indicans eſt. Mox reliquas indicationes conſulimus, an concordes, an diſcordes. Sit igitur ex hypotheſi inflammatio, & hæc magna; hic morbus, quatenus magnus, primò magnum indicat auxilium: ſit rurſus & fluxio cum plenitudine, hæc depletionem, illa reuulſionem indicat, & vtramque magnam, quia morbus, methodi carcer, magnus, qui magnam pariter arguit cauſſam, fluxionem magnam, & plenitudinem. deliberemus modò de materia remedij, nam hæc indicari nequit, ſed methodo deliberari. Supponamus quamprimùm, vt diximus, remedium debere eſſe magnum, habens facultatem reuellendi, & vacuandi. ad deliberationem huius remedij, quamprimùm mente artificis debent ſcopi illi proponi, morbi magnitudo, tum robur virium. nam improportionatum eſſet remedium, imò neque remedium, ſed

noui morbi auctor, niſi ad eius deliberationē, morbi adeſſet magnitudo: rurſus niſi & robur virium: nam ab eius magnitudine hauddubiè exoluerentur languidæ vires, & æger committeretur neci. propoſitis igitur ſcopis, cum magna remedia, quæ materiales morbos reſpectant, ſint tantum duo, venæ ſectio, & purgatio, de horum altero deliberandum. vtraque vim habent reuellendi, & vacuandi. decernendum itaque, quod adæquatius commodiúſve vtrumque præſtet: vnde replicandæ iterum omnes indicationes, morbi inquam, & eius cauſſæ, naturæ partis affectæ, ætatis, conſuetudinis, temperamenti totius, anni temporis, cœli ſtatus, ambientis &c. Si igitur omnia hęc conſulunt, deliberandum de venę ſectione: haudquaquam dicendum, ſi vim methodi Augeniani æſtiment, hanc indicari primò, nec vlla alia ratione, à fluxione, & plenitudine: cum hæc tantum indicent reuulſionem, & vacuationem. illa autem remedij materies deliberatur ex ſcopis; & cunctis aliis indicantibus; inter ſcopos requiritur neceſſariò morbi magnitudo, inter indicantia magnum remedium, primò ac per ſe morbus magnus. Diſcat igitur Augenius, diſcant & eius manes methodum, neque amplius meras nugas, & commentitia hoſtilia nobis proponant.

Vt omni ex parte huius noſtræ doctrinæ veritas eluceſcat, lubet modò & rationes Augenij infirmare, & Galeni luſtrare auctoritates. Ad illud Galeni teſtimoniū, ex lib. 1. de comp. ſecūdum loc. deſumptum dicemus, ibi palàm, apertiſque verbis cunctos tres obſeruaſſe ſcopos, qui ad ſcindendas venas, ex eodem, & Hippocrate requiruntur. in primis quod morbi magnitudo adſit, fit palā ex hypotheſi, cum

ſuppo-

ſupponat, ruptionem circa cerebrum, & membranas, quæ ruptio ob partium præſtantiam (alterum morbi magni ſignificatũ) à Gal. li. preſertim 7. meth. c. 12. intra carceres hauddubiè morbi magni cõſtituitur. quod ſi fortè etiam in ſua eſſentia magnus fuerit morbus, ſeu magna ruptio, quam inſinuabit etiam inualeſcẽs dolor, à magna itidem cauſſa, magna videl. ſolutione continui, ortus: per vtramque rationem neceſſariò ibi morbi magnitudo admittenda. Rurſus nec hanc ſolam admittit, verum & eiuſdem morbi acutiem, cum ſcribat, *ipſáque affectio, ceu agrè curabilis redditur, & periculum ingens, ac praceps imminet.* hoc enim de ratione eſt morbi acuti periculum includere, ac præceps eſſe. quę acuties, ſupra magnitudinem, & vehementiam, dicit, ac ſæpè, cacoethiam. quare neceſſariò morbus magnus ſupponitur. Porrò & adſũt alij duo ſcopi, cùm dicat, *niſi atas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat.* Præponũtur itaque omnes hi tres ſcopi ad venæ ſectionis deliberationem. & cùm morbum ſtatuat magnum, magnũ pariter indicans auxilium, de ven. ſect. quamprimum deliberat, cen cõmodiori, & adæquatiori auxilio. ſub morbo autem æſtimat cauſſam eundem inualeſcentem, dolorem inquam, qui etſi ſolutionis cõtinui germen, ex Galeno lib. 1. de cauſſ. ſympt. c. 6. tamen quatenus naturam excitat, vt affluxu ſanguinis, & ſpirituum partẽ ipſã dolẽtẽ foueat, & robur pręſtet, vt innuit Gal. li. 5. Aph. ſe. 53. fluxio concitatur, & pars dolẽs in tumorẽ attollitur, cõtrahiturq; hoc modo, in parte dolẽte inflãmatio; vt itidẽ explicat li. 13. meth. c. 3. & li. 2. de feb. diff. c. 11. & hac ratione dolor non ſymptoma, verum morbi cauſſa, & quà talis præuiſionem

indicat. præuidetur huic duplici arte, quatenus actionis illius principium anodynis, quatenus verò iam agit, aut agere paratus fluxionem concitans, cũ hæc fluxio ſiue præſens, ſiue immines reuulſionem indicet, pari ratione, & reuulſione cũ occurremus. Quare hæc cauſſa, quatenus parata nouum generare morbum magnum, & iam factum ægrè curabilem reddere, cum periculo, ac breui tempore, dicetur indicare. non reſpuit itaque magnitudinem morbi deliberatio venæ ſectionis; in hoc magno morbo, cum magna cauſſa connexus. primò enim ratione morbi magni de ipſo auxilio deliberamus: proximè ratione cauſſæ, quæ includit in ſe reuulſionis ſcopum, cui ſatisfacit adæquatè venæ ſectio, ceu magnum auxilium, quia illa magna, magnúmque valens, ac vrgens generare morbum. Irridendus itaque Augenius, qui ex hoc loco concludit, citra ſcopum magnitudinis morbi, fluxionem, indicare venarum ſectiones; cum nec hæc, iſtud auxilium indicet, verum ſolam, ac nudam reuulſionem: nec deliberetur citra præſentiam ſcopi magnitudinis morbi in genere; ſub qua, vt nuper diximus, etiam ex Galeno lib. de cur. rat. per ven. ſect. cap. 9. cauſſa continetur. inquit enim Galenus, *in ſyndrome magnitudinis morbi, & roboris virium, comprehendi & plethoricam ſyndromen, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat.* quaſi innuat Galenus, ſub illo ſcopo generico magnitudinis morbi, vnà contineri & eius cauſſam, qualis plenitudo vel fluxio, haudquaquã contrà. quare deliberatio materiei remediorum petetur primò ex magnitudine morbi, continente eius cauſſam: ex cauſſa verò ſecundariò, cum nequeat tolli morbus ipſa præſente.

Solutionem Augenij ad tacitam obiectionem,

Galeni teſtimonio firmatam,exoluemus facilè, doctrina nuper tradita,qua elucet omnino difficultatis veritas. Nam ſi,vt fatetur Augenius,ſanguis mittitur in hoc affectu magno,neceſſariò & fatendum propter magnitudinem morbi in genere. ad hoc enim vt ſanguis mittatur, neceſſariò adſit oportet, ceu alter ſcopus, magnitudo morbi in genere, vt nemo eſt qui ambigat.magnitudo autem in ſpecie, iuxta eius ideam,ſimiliter & ſpecificum indicat auxilium, magna intemperies calida magnam refrigerationem;plenitudo cum morbus non ſit, haudquaquam indicat, niſi vt cauſſa, & connexa cum morbo.qui ſi magnus in ſua ſpecie,& cum plenitudine,indicabit magnam vacuationem; cum fluxione magna, magnam reuulſionem. hinc inſſerat lib. 13.meth.cap.9.aduerſus mentem Augenij,in magnis inflammationibus,cum à cauſſa ſit curatio inchoãda,& hæc fluxio ſit, prius reuulſionem præſtandam confluentis ſanguinis ad locum affectum. quæ reuulſio in inflãmationib. nullo cõmodiori paratur auxilio,quam ven.ſect. hinc de ipſa ſeriò in eiſdem deliberamus, adſtante ſemper, ceu ſcopo, morbi magnitudine in genere. Quare futilis Augenij ſolutio. Rurſus, & ex eo apparet, quia in hypotheſi Galeni, non eſt aliud quod curatur, & aliud quod curationem indicat: & cum morbus primò, ac per ſe curationem indicet, ergo & quod curabitur morbus erit,haudquaquam fluxio;niſi in quantum ordinem dicit ad morbum, & cum ipſo connectitur. Morbi itaque magnitudo ſpectanda, ad deliberationem ven. ſect. cum auxilia primò ob morbos exerceantur,qui curandi primò veniunt:& cũ venæ ſect.ſit magnũ auxiliũ,reſpectat neceſſariò & magnũ morbum, ſiue præſentem, ſiue futurum.

Iam rationem alteram Augenij poſt Galeni teſtimonium conuellamus ius eſt. Inprimis negamus totum enthymema. nam falſum antecedens, cum falsò ſupponat, ob ſolam magnitudinem morbi, in illo ægrè ſanabili capitis affectu, adminiſtrari ven. ſect. cū nullus mētis cōpos iſtud affirmet. nā morb. ſiue ægrè, ſiue facilè ſanabilis, dummodò in genere magnitudinem includat, ceu ſcopus requiritur neceſſariò ad venę ſectionem: neque hęc ſola, etſi primò indicet auxilium, verum quatenus indicans, requiritur vna & altera indicatio ab eius cauſſa ſi adeſt, quæ proximè, non primò auxilium reſpectat. vnde ad eius deliberationem, æſtimanda indicatio à morbo magno, tum ab eius cauſſa, ac aliis plurimis, vt ſuprà diximus. Ex his, conſequentiæ patet falſitas, quòd ſit explodenda venæ ſectio in morbo facilè ſanabili. primò, quia non ſequitur ex illo antecedente, mox, quia materia falſa, vt idem fatetur Augenius in aſſumptione. Quare ex illis præmiſſis falſis, neceſſariò & falſa concluſio. Nam abſurdum quidem ſuſcipi venę ſectionem, ob ſolam reuulſionem in fluxione; vti in plenitudine, ob ſolā vacuationem. quamuis enim verum ſit fluxionem reuulſionem indicare, & plenitudinē vacuationem iuxta ordinem contrarietatis: tamen in vſu methodi, eum conſulantur ſcopi, ęſtimentur & indicantia ad materias remediorum deliberandas, & inter ſcopos venæ ſectionis præſtans morbi magnitudo, vti inter indicātia primò morb. magnus cū ſua cauſſa: hinc, nō ſuſcipietur ven. ſectio tantū, ob reuulſionē fluxionis, & vacuationē plenitudinis, cū primò exerceatur, & ſuſcipiatur ob morbū, ꝓximè ac ſecūdariò ob illos ſcopos. & ita reſpōdēdū auctoritate Galeni

lib.2.de comp.med. ſim. loc.cap.1.nam ibi non cõſulit venę ſectionem,ob plenitudinem tantum,neglecto morbo: verum ob morbum magnum connexum cum ſua cauſſa: quæ indicatio cauſſæ numquam nuda, verum cum morbo eodem magno connexa, & tunc cauſſa primum ſibi vendicat locum in curatione, cum vltimum in analyſi conſequatur.

Ad alterum Galeni locum, ex lib.4.meth.cap.6. dicemus illius partes non facere, cum non legendus ſit cum coniunctione diſiunctiua *vel*, ſed cum copulatiua *&*, vt abundè iam ſuprà cap.17.replicauimus.

An plenitudo, iuxta Augenij decretum, neceſſariò, ac ſemper venæ ſectionem indicet.

CAP. XXIV.

IMpellimur adhuc, aduerſus hunc ceruicoſum Augenium eũdẽ reuoluere lapidem, quod plenitudo nec ſemper, ac neceſſariò, etiã iuxta Augenij decretum venæ ſectionem indicet: imò nec vlla ratione, aut quatenus plenitudo, aut quatenus magna plenitudo, vt oſcitanter ipſe lib. 3.affirmat ca. 7. & 8.huius inſtituti.

Rẽ demonſtremus, ſuppoſito prius perfunctoriè, quod venæ ſectio, ceu remedij materies, ne indicatur quidem. Ratio neceſſaria. Indicatio eſt actio intellectus, qua comprehendit nudè, ac imperfectè vniuerſitatem, citra conſilium, citráque ſcoporum obſeruantiam: vt cognita ab intellectu occluſione in genere, quod eſt indicans, nudè ac imperfectè citra conſilium, aut ſcoporum obſeruantiam illicò concludit de apertione, eius indicato in vniuerſum. handquaquã intellectus per hanc vim indica-

tionis concludit de materie remedij, ac eius qualitate remedij, de radice aſparagi, aut apij, aut alterius cuiuſque eandem vim pollentis: hoc enim munus ad rationalem ſpectat methodum, quæ indicantia omnia, & coindicantia, indicata rurſus & ſcopos affabrè æſtimat, & in conſilium cuncta proponit. Quare comprehenſa ab intellectu plenitudine, etſi magna, haudquaquam ipſe per hunc indicantem, ex vi eius, concludit ſanguinem eſſe hauriendum, ceu eius indicatum: imò tantum concludit vacuandum eſſe, ex Galeno lib. præſertim de plenit. cap. 10. & auxilio magno, ſi magna illa fuerit. Nam quia remedij materies, ad rationalem methodum ſpectat deliberare, æſtimatis ſcopis (fruſtra enim hi obſeruarentur ab vtroque Medicinæ parente:) quid, quod, & hos omnino reſpuit indicatio: rurſus obſeruatis & indicantibus cunctis, & coindicantib. nec nõ (quod maximũ eſt) ad cõgruũ remediorũ vſum exploratis & mededi aliis ſcopis, qualitate, quantitate, vtendi modo, & occaſione: quos pariter & omnis indicatio negligit, cum nudè vnum, de altero vno indicetur.

Cæterum quamuis hæc, ſeriò rem inquirentibus, ſint luce meridiana clariora: tamen admittantur eadem, ex hypotheſi, ipſi Augenio, ſub quadam latitudine, ſeu κατεχγησικῶς, plenitudinem videlicet indicare. demonſtremus modò, nec ſemper, nec neceſſariò, imò nec vlla ratione venæ ſectionem indicare, etſi magna. Quam primum elucet ex illo Galeni loco lib. 4. meth. ca. 6. tantopere ab eodem Augenio decantato, dum dicat, *Ex quo patet non hoc eſſe, quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi, ac virium robur.* Quare exactè cum

Galeno

Galeno concludimus, plenitudinem ad ſectionem venæ, nec requiri vt indicantem, nec vt ſcopum. confundit autem hoc loco ſcopum cum indicante, vti alibi indicantem cum deliberãdo auxilio, quod paſſim videre eſt in Galeni libris. Primum illud apparet modò, cũ aſſignet indicantia venæ ſectionẽ morbi magnitudinẽ, & robur viriũ. quod vtrũque falſum; de robore quãprimũ virium, quis vnquã aut delirans affirmauit hoc ven.ſect. indicare: cum potius, ceu res ſecundum naturã ſui conſeruationẽ indicet per ſimilia, diſſimilis autẽ, & oppoſita venæ ſectio, de morbi magnitudine iã ſuprà demõſtratũ: cũ hæc variis artib. variiſq; auxiliis, ex vi methodi tollatur, intendit igitur hoc loco demonſtrare Gal. tãtum abeſſe, plenitudinẽ indicare venæ ſectionem, quod nec ad eius vſum requiratur vllatenus illius præſentia, vt infrà lib. 8. meth. cap. 4. accuratè oſtenderat, dicens, *etſi plenitudinis ſigna abſint*. quia nec ſcopus ipſa, nec indicans.

Obſeruandum tamen, vt roboremus & ea, quæ nuper diximus, quod cum Galenus hoc loco lib. 4. meth. tantum æſtimet, ceu ſcopos morbi magnitudinem, & robur virium, quòd illa neceſſariò ac ſemper requiratur, ſub communi ratione, in omni venæ ſectionis deliberatione.

Porrò etſi alij plurimi ſe nobis offerant Gal. loci ad impugnãdã Augenij opinionẽ, eo ſolo contenti, ad rationes confugere lubet: ſit itaque prima.

Si plenitudo venæ ſectionem indicat, cum vnũ, & Gal. affirmante lib. 9. meth. c. 12. paritérq; Augenio, vnũ tãtum indicet, ne poterit quidẽ plenitudo, niſi ab illo vno, eius oppoſito, & indicato remoueri. Sed plenitudo, ex eodem Gal. lib. 4. meth. com.

in lib.1.de humorib.& alibi, etiam & magna, inedia tollitur,frictionibus,balneo,clyſteribus, etiam & purgatione.

Ergo plenitudo haudquaquã venæ ſectionẽ indicabit.Prima illa propoſitio,prętet Gal.& ratione firmatur.hęc nõ ſolũ petetur ex natura cõtrariorũ, qualia ſunt indicãs,& indicatũ, verũ & ex relatorũ natura.de cõtrariis inquit Ariſt.lib.10.Metaphyſ.c. 6.&8.*patet,quod nõ cõtingit vni plura cõtraria eſſe.*& rurſus,*impoßibile eſt vnum duob.cõtrariũ eſſe.* De relatis,quia de natura relatorũ eſt, quod extrema relata ſimul ſemper adſint,& ſint ſimul natura,etiam ex eodẽ Ariſtotele lib.categor.cap. de relat. & in ſe mutuò itidẽ cõuertãtur. Quare indicato poſito,neceſſariò & indicans ponendũ:& ſublato illo, tolletur & hoc.tũ rurſus, poſito indicãte,ponetur & indicatũ,& ſublato illo,auferetur & hoc, neq. quidpiã poteſt,inſiſtens circa idẽ fundamentum terminũ eſſe diuerſarum relationum.vnde vnum dicetur tantum vnius indicans,vt intemperies calida,refrigerationis: neque intemperies illa quidpiam aliud poteſt indicare,cũ vni vnũ ſit tantũ contrarium.refrigeratio autẽ illa bene quidem diuerſis in ſpecie remediis exerceri poteſt: verum hæc non indicantur,cum ex indicantibus, coindicantibus, & variis ſcopis rationali methodo deliberentur.

Verũ ſi plenitudo venæ ſect. indicet, aliud à ven. ſect.indicare,aut tolli nequit.ꝙ quã falsũ,nuper de mõſtrabim⁹,& ſimul aſsũptionis veritas ĩnoteſcet.

Galenus citatis locis plenitudinẽ diuerſis ſpecie remediis tolli ſeriò conſulit, etiam & magnam propter diuerſorum coindicantium concurſum: vti ſi vires imbecilles, ætas puerilis, aut ſenilis.

lis. quid quod & morbi natura cum certa plenitudinis ſpecie, vt quartana cum bilioſa plenitudine, etiã teſtante Gal.li.1.ad Glauc.c.11.ven.ſect.reſpuit. hæc quidem, ſi genuinum eſſet ac vnicum venæ ſectio à plenitudine indicatum,nec valentia rationalem inuertere methodum, aut cõfundere, imò plenitudine poſita illicò & venæ ſectio admitteretur: vti poſita intemperie calida, ſtatim refrigerans indicatum admittitur. nec potens eſt quodlibet occurrat coindicans, etſi diſcors, illud non indicet; quia hoc vnicum eſt eius contrarium,quod indicatur,& à quo ſemper ac neceſſariò tollitur. Quare ne ylla ratione ven.ſect. indicabit plenitudo,cum eius adæquatũ contrarium ſit vacuatio, vt palam etiã de magna oſtendit Gal. libr.de plenit. c.10. quæ ſimul ſunt & conuertibilia. dixi ne vlla quidem ratione, quia quæuis illa ſit ſiue magna, ſiue parua, ſiue in toto,ſiue in parte, vllo in tempore aliud valet indicare præter vacuationem, iuxta plenitudinis differentias varias.

Præterea eſt & altera ratio, deſumpta ex Gal.hiſt. lib.9.meth.c.4.deſcribit hoc loco Galenus palęſtritem ætate iuuenem,febréque magna, ſynocho, inquam, laborantem, etiam cum Menodoti ſignorũ plenitudinis ſyndrome, vt nulla de plethora maxima dubitãdi adeſſet anſa, huic diuiniſſimus Gal. cũ ſibi palàm innoteſceret plenitudo, adſtaret pariter febris magna, ne auſus quidem fuit tundere venas:nec aliò,quàm ſibi ignota (vt fatetur ipſe)morbi idea: ignorabat enim an ſynochos illa cum putredine, aut citrà exiſteret. hinc in aliud tempus reiécit auxilij illius vſum, quouſque videlicet illius morbi perfectam aſſequeretur dignotionem.

iudicando, ne fas quidem,non cognita morbi idea, à cuius magnitudine primò deliberatur venæ ſectio hanc exercendam eſſe, neglecta omnino ad eius deliberationem magna illa plenitudine, clara, ac euidenti, cuius præſentia, tantum abeſt, vt illud indicaret auxilium, apud Gal. quod ne mentio ſanè facta, etiam connexa cum morbo magno, quia ignorabatur huius idea. Elucet igitur ex hac elegāti Gal. hiſtoria, quam elumbis, quáque erronea Augenij ſit opinio. ſi enim plenitudo in hoc iuuene indicaſſet,ſemper ac neceſſariò indicaſſet: abſurdéque Gal. ex eo,quod morbi ideam ignoraſſet, hoc remediū in aliud tēp⁹ reieciſſet. Quare ex mẽte Gal. morbi idea eſt, vnde elicitur primò indicatio, & à qua primò deliberamus de huius auxilij qualitate.

Attēdant amabò ex his, incauti Medici, diſcant Gal. prudentiam,inſequantur hoc vnicum veritatis Medicę exemplar,ne temerè,ſed prudēter,ſobriè ac ſolerter de magnis cū ipſo deliberent auxiliis. Impudentem reſpuant Augeniū,dum ſola plenitudine obſeruata, cœcutienter de vena ſecanda deliberet, & admirabilem Gal.non pudeat accuſare, libro ſuo 8.de ſang.miſſ.c.24.ex eo,quia plenitudine manifeſtò ſibi innoteſcente, ac morbo ſimul in genere cognito,venam illicò non ſecuerit,non æſtimans ipſe quod rationali methodo iſtud fuiſſet oppoſitum,cū ex vi eiuſdē,remedij qualitas primò ex morbi infimi idea ac ſpecie,neceſſariò deliberetur:hoc itaque ignoto,peruerſè de illo remedio ven.ſect. deliberaſſet Gal. quod piaculum de tanto viro ſentire. Hinc pudore ſuffuſus Augenius procaciter concludit, *Quamobrem id Gal. factum non recipio.* Sed, quidni recipias ſodes? Quid ad nos? In angulo ſedebis ſolus. Dij faxint, ne tua pernicioſa hæc labes, in ho-

minum amplius depaſcatur mentes.

Eſt & alia ratio ducens ad incommodum. Si plenitudo ven. ſect. indicaret, aut magnus morbus in ſpecie à plenitudine concitatus (vtroque termino vtitur Augenius) ſempérque ac neceſſariò: duo inde ſequerentur maxima incommoda, & quod rueret omnino Gal. methodus, & quod ab alio à plenitudine affectu venæ ſectio indicari nõ poſſet. Quod vtrumque abſurdum, ac temerarium ſanè.

Illatio probatur. In Gal. meth. ad ven. ſect. obſeruantur ſcopi, præcipuũ ac primũ indicans, morbus, coindicantia reliqua, ætas inquã, tẽperamentũ, corporis habitus, ſexus, cõſuetudo, ambiẽs, cæli ſtatus, anni tẽpus, regio: quæ omnia ſedulò æſtimãda cẽſet, ac docet paſſim, li. pręſertim 11. meth. per totũ librum, ac vnicè capite eiuſdem libri 3. Si igitur ſemper, ac neceſſariò illud auxilium indicat plenitudo, fruſtrà illa cuncta proponũtur æſtimanda, cũ nihil faciãt ad hortationẽ, vel dehortationẽ auxilij vberrimè vices omnium plenitudine gerente. cũ ad indicationẽ tantũ requirantur indicãs & indicatum: ad ven. ſect. cuncta illa æſtimanda neceſſariò, ac ſẽper. ergo hæc nõ indicatur, aut methodus ruit. hoc nefas aſſerere. Rurſus ſi ſemper ac neceſſariò, ergo in omni tẽpore, & in omni occaſione, etiã cruditate ventriculi adſtante, quia vis indicãtis à nullo põt infringi. vlcus .n. quà vlc⁹, ſemper, ac neceſſariò ſiccationẽ indicat: neque aliqua eſt inſtantia, qua illa indicatio valeat alterari. deſtructur itaq; med. meth. inuenta nãq. per indicationẽ hac remedij qualitate ceſſat omnino meth. inquirẽdi illã, quã ex plurimis captari docet libris methodi Gal. li. autẽ 9. c. 1. fatur, *Quippe veluti in precedẽtib. oſtẽdimus, & inueniet re-*

media, & inuentis rectè vtetur quiſquis in medendi methodo eſt exercitatus. Inuentio qualitaris remedij, qualis venæ ſectio eſt, hauddubiè methodo parabitur, vt nuper diximus ex Galeno. illa præter ſcopos, & varias intra eius carceres amplectitur indicationes, neque ab vnica ſola, vt indicatum à ſolo indicante, poterit comparari, vt eodem lib. 9. ca. 2. & 9. & alibi exemplis luſtrat Galenus; quare ne à ſola plenitudine, cum methodum exoptet.

Aliud incommodum demonſtratur mox. Pluri-mis in locis ſcripſit Galenus (vt ſuprà oſtendimus) citra plenitudinem ius venas ſcindere in morbis magnis, idem fatetur ceruicoſus Augenius, dum ad compeſcendos fluxus, citra plenitudinem hanc admittat. Ergo ſola plenitudo ſemper ac neceſſariò hoc auxilium non indicabit. nullatenus enim ſi hoc indicaret, aliud ab ipſo poterat indicare: neque ab alio hoc indicari. conuertibilia enim ſunt, vt ſuprà ex Galeno diximus, lib. meth. 9. cap. 12. Si itaque ſola plenitudo hoc auxilium indicaret, neque eſſet locus huic remedio ad fluxionem compeſcendam; neq; plenitudo altero poterat auferri auxilio. quod vtrumque veritati reluctatur, & Galeno libro præſertim meth. 4. cap. 6. cum illa aliis itidem tollatur auxiliis. falſa igitur Augenij opinio, execranda.

Illuſtratur Galeni locus lib. de cur. rat. per venæ ſect. c. 9. aduerſus Augenij mentem.

Cap. XXV.

Dvm Galeni doctrinam, etiam de hac inſtituta diſputatione, candidam, diuinámque cōtemplor,

plor, certè Augenij vicem doleo. Ille itaque libro de cur. rat. per venæ ſect. ſic eloquitur, *Contrà enim prorſum ſanguinis mittendi ſcopi, primum in ſe plenitudinem non comprehendunt; ſed fientis, vt ſic dicam, paſſionis ſuſpicionem. nam ſi eam magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus, etiamſi nulla exiſtat plenitudinis nota, tantum inſpectâ ætate, viribus & regione.* hunc locum abundè ſatis nos elucidauimus ſuprà c.18. verum, quia ſenſum eiuſdem, vt ſibi moris eſt, Augenius ipſe retorquet, lubet modò, iterum aduerſus hunc moleſtum virũ replicare.

Augenius itaque libro præſertim 3. de curat. per miſſ. ſang. c.8. dum hunc locum interpretatur, labitur fœdè, & inquit ſcopos mittendi ſanguinem ex eo plenitudinem non comprehendere, quia ex Gal. li.2. Aph. ſen.29. venæ ſectio ſemper magnum auxilium, plenitudo verò aliquãdo parua, quæ aliis auxilijs à ven. ſect. tollenda. Mox ex hoc axiomate concludit: Quare plenitudo non indicat niſi vacuationem in genere, verum quatenus magna, cuius ratione morbus magnus aut fit, aut futurus timetur, ven. ſect. indicat quidem. O viri inconſtantiã? Aduertant Philiatri amabò, ac videant, quã turpiter ſit læſus Augenius. Nec illa ibidem Gal. mẽs; imò nec veritati adridet, commenta enim cuncta.

In primis plenitudinis diuiſio futilis, omnem enim reſpuit ibi Gal. ceu ſcopum, cum tantũ ſignet hoc loco, & alibi paſſim, morbum magnum ſcopũ poſtulantem ven. ſect. ad cuius inſtar magnam aſtrueret plenitudinem, ſi ſcopus alter. quid quod & in ratione indicantis, ipſa per ſe nihil indicat, ſed in quantum ſit præter naturam, ſeu morbi cauſſa, & tunc ſi morbus magnus, cum ipſe primò indicet

magnum indicabit auxiliũ, & huius ratione connexa cauſſa, ſiue plenitudo magna ſit, ſiue parua, coindicabit magnũ auxiliũ, & fortè ſi maiora coindicãtia adhortetur, deliberabimus & de ven ſect. quæ magnũ vacuãs. Malè itaque inter præpoſita, ſeu ſcopos, plenitudinẽ, ne magnã quidẽ, connumerat. quæ ſi fortè adeſt, ſub idea morbi magni continetur: & quatenus ſcopus indicat, vti nec morbus magnus, imò tantum præponi in iudicio ad deliberationem qualitatis remedij, quaſi ſit mouens artificem ad agendum. Magnitudo enim morbi quatenus ſcopus res diſtincta formaliter à magnitudine morbi quatenus indicans. vnde craſsè errat Augenius, dum hæc confundat.

Porrò & elumbis eiuſdem concluſio. Si plenitudo, vt talis vacuationem in genere indicat: magna itidẽ neceſſariò magnitudinẽ in genere indicabit, vacuationis. Nã magnũ nequit indicare ſpecificum remediũ, ſed hoc debere proportionari affectui, method⁹ docet. Et cũ in plenitudinis latitudine gradus ſint varij, nihilominus & varij debẽt eſſe gradus remedij, illam tollentis. nequit autem plenitudo, remedij qualitatẽ indicare: cũ potius de eãdẽ methodo rationali deliberemus, ex ſcopis, & indicantib. ſub quibus (ſi adſit) amplectimur & plenitudinis gradus, iuxta quos de adæquato, ac ſpecifico decernimus auxilio. quæ nullatenus ſimplex indicatio replicat, cũ tantum per illud imperfectũ, & inchoatum ratiocinium, cognito indicante, indicatum inueniamus, ſeu eius contrarium, aut in genere ſummo, aut interiecto: ſpecificum autem, ſeu remedij qualitas methodo ſemper decernitur.

Præterea craſsè errat Augenius. Nam dum inter-

terpretatur illa Galeni verba, *Nam ſi eam*, videlicet paſſionem fientem, *magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus*, tunc mentem ſuam aperire Galenum, intendit: quaſi magna illa plenitudo, omnino indicet miſſionem ſanguinis, ceu vacuatiuum præſidium. Error Augenij conſiſtit in relatiuo illo *eam*, cùm arbitretur ipſe, & craſsè, ad antecedentem plenitudinem referendum, cùm potiùs ad paſſionem fientem, de qua ibi ſermo, dum curanda proponitur, repulſa plenitudine. Verborum Galeni hæc ſeries, ſi attentè perpendatur. Scopi venæ ſectionis non comprehendunt plenitudinem, imò paſſionis ſuſpicionem, ſiue præſentis, ſiue imminentis. (vt infrà adhuc dilucidius eodem capite explicat.) Proſequitur deinde interpoſito puncto (oportet autem & cum ipſo Augenio, etiam nolentes grammaticari.) *Nam ſi eam magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus.* vbi relatiuum *eam*, neceſſariò ad proximiorem antecedentē referendum, quod eſt paſſionis ſuſpicionem, quę paſſio ſuſpecta, ſi magna, adſtātibus aliis, etiā ab eodē Galeno infrà recēſitis ſcopis ſanguinem mittemus. Si itaque illud relatiuū *eā*, plenitudinem reſpectaſſet, inepta eſſet oratio, cū ſtatim dicat, (inuito ipſo Augenio) *mittemus ſanguinē, etiāſi nulla exiſtat plenitudinis nota.* Quid enim turpius eſſet, dicere magnam eā plenitudinē ſectionē venæ indicare, etiāſi nulla exiſtat plenitudinis nota? Quare inſcia Augenij interpretatio. neq. cōfugiēdū ad cōiūctionē illā *etiāſi*, quaſi ſit diſiunctiua, vt de altero Galeni loco ceruicosè cōtēderat Augenius li. 8. Meth. c. 4. nā vt ſuprà vberrimè diximus c. 18. copulatiuā eſſe affirmamus.

Crimē deniq. nec leue cōmittit Augeni⁹, dū ex p-

dictis Gal. verbis, quoddam ſtabiliat dogma, totius eiuſdem commenti cardo; illud maxima commendat emphaſi, *En igitur, magnam plenitudinem omnino indicare ſanguinis miſsione, ceu vacuatiuum præſidiũ. & inquit omnino, quaſi dicere velit, nulla amplius adhibita diſtinctione.* Illo aduerbio demonſtrante En, audacter contendit animos erigere ad grauitatem doctrinæ: quam vtinam & celante altero aduerbio, ac reiugiter abſcōdiſſet, propter eius impuritatem. Rē proſequamur. huius hęc duo proponũtur axiomata ex illa ſententia elicita: Et quod magna plenitudo, morbo adiũcta magnō, pręſenti, vel futuro in ſpecie indicet, vt vacuatiuum auxilium, ſect. ven. Alterum, quod morbus magnus pręſens, vel futurus, cum fluxione magna indicet, vt reuulſiuum remedium, eandem ven. ſectionem.

Vtrumq; & extra Gal. mentem in illa ſententia, & pariter falsũ, modò lubet demōſtrare. Primũ, tantũ abeſt de plenitudine ibi loquatur, vt eandem protinus à ſermone excludat, cũ doceat, inter ſcopos vē. ſect. quos ibi referre cordi eſt, nōn cōprehendi: ſed paſſionē magnã, & hanc citra plenitudinē ven. ſect. poſtulare ōnino. Excludit itaq; inter ſcopos plenitudinē, excludit pariter & eādē à cœtu poſtulantiũ ven. ſect. vſus autē eſt illo aduerbio *ōnino*, nō quaſi inſinuet, vt interpretatur Augenius, nulla amplius adhibita diſtinctione exercenda ven. ſectio à duplici illo idicante, plenitudine, vt vacuatiuũ, fluxione, vt reuulſiuum auxiliũ: verũ primò ac per ſe. quaſi dicat, paſſio magna eſt, quæ primò ac per ſe auxiliũ indicat; & à quo primò ac per ſe, ceu meth: carcer ven. ſectio deliberatur. Quare infirmè cōcludit Augenius conſulere Gale. eo loco ven. ſect. ceu vacuatiuum

tiuum auxilium, à magna plenitudine indicatum: quia ſi repellit à ſermone plenitudinem, nec vt vacuatiuum tantum illud auxilium cõmendat, cum in magnorum morborũ initiis ferè ſemper ſectio venarũ exigatur ad cõpeſcationẽ,ac reuulſionẽ humorũ fluentiũ;vrget enim tũc potiſſimum hic ſcopus: quid quod etiam & citra plenitudinẽ ius ven. ſect. vacuare inutilẽ portionẽ humoris,morbi efficientis cauſſæ,vt innuit vltimis illis verbis Gal. dũ, adſtãte morbo magno,omnino ſanguinem mittere,etſi nulla exiſtat plenitudinis nota,ſeriò cõſulat. Quod ſi ambo concurrant, tunc omnino, ac nulla adhibita diſtinctione ſanguis hauriendus.

Ratio eſt,quia illa plenitudo morbo adnexa,cum morbum augeat, ſub cuius ratione indicat,tum vberrimam illi auxilio præbeat materiem,ſimúlque robur addat viribus, (quod ceu alter ſcopus requiritur neceſſariò) citò, ac nulla adhibita alia diſtinctione,venas tundendas eſſe conſulit. quid quod nec vix tunc contingere poteſt, aliquid adſit illud dehortans auxilium.

Alterũ iã demonſtremus oportet. Axiomata illa Augenij veritati ne quidẽ adridere,imò falſa.Primi axiomatis falſitas,ex eo,quod ſuperiori capite diximus elucet palàm. nam ſi plenitudo,ſiue magna,ſiue parua, etiam morbo connexa, ſiue magno in ſpecie, ſiue genere, venæ ſectionem non indicat: quia materies remedij,quæ per ſcopos deliberatur. Ergo ſi nulla ratione eã indicat: neq; vt vacuatiuũ, aut reuulſiuum indicabit. cum tantum plenitudo vacuationẽ,&magna magnã,ceu adęquatã indicet. Sed cũ hoc auxiliũ vacuationẽ pſtet magnã,& plenitudini magnę adęquatã,hinc aduocata methodo,

cunctis in conſultationē adhibitis, de huius re
dij materie, quamprimū deliberabimus, cum m
exactior: relinquimus tamen menti vſum liber
huius remedij, an in hac hypotheſi, magis hoc,
aliud conueniat auxilium. Quæ procul dubio r
formalis eſt, qua conuincimur credere venæ ſ
à plenitudine non indicari; cum liceat Medic
ipſa tollenda, hoc, vel altero vti auxilio, & de ſin
lis ſeriò per methodum deliberare. quod longè
ſtat à formali ratione indicantis.

Rurſus alterius axiomatis falſitas innoteſcet, q
morbus magnus, citra plenitudinem, ven. ſect. i
cet, vt reuulſiuū auxiliū, ſi adſit fluxio. Nam hoc
xilium, vt in eodem ſemper veritatis curramus
dio, nullatenus indicatur. quod ſi ex hypotheſ
dicatur, non magis vt reuulſiuum, quam vt va
tiuū, quia poteſt adeſſe morb. citra plenitudi
in quo poſtulet vſus venam tūdendam eſſe, nō
quā vt vacuemus portionē aliquā ſanguinis in
te affecta contentam, morbi cauſſam à prima o
ne efficientē, ac mox fouentem. poteſt rurſus a
ſcopus vterq; reuellendi, & vacuandi, in eoden
morbo (quod ſępè accidit) citra vllam plenitu
differentiā. Quare in morbis magnis, etiā citra
nitudinem, non vt reuellamus tantum, venas ſ
ius. Sed hæc modò ſufficiat ad huius loci Gale
luſtrationem, neque fas nobis cuncta perſequ
auctarium conſtruere, quàm perfunctoriè, &
ſi per ſpicilegium hanc doctrinam proſequar

Verum quiſpiam pro Augenio poterit nobi
iicere. Gal. paſſim, dum meth. exercet deliberar
ven. ſect. inter alia coindicātia, plenitudinē ſe
connumerat: quaſi hæc neceſſariò adſit opor

non vt ſcopus, ſaltem vt coindicans cum morbo illud auxiliũ. lubet hoc demõſtrare ex lib. 2. ad Glauc. c. 2. cũ dicat, *In ea, de qua nunc agitur diſpoſitione* (inflãmationẽ inquã) *ad genu fluxus deferatur, atq; hoc ſubitò plurimũ attollatur, tibi verò totũ corpus plenũ ſanguine appareat, & valida laborantis vis, tempus autem anni ſit ver, regio temperata, ager verò ſit adoleſcens, aut iuuenis, is ſanguinis euacuatione ex ſuperiorib. partib. indiget.* Idẽ refert & lib. de ſectis, c. 3. dũ febris ſynochæ curationẽ inſtituit, in qua plenitudinẽ ſupponit, & ex qua de venę ſectione deliberat.

Si æquo animo Gal. conſulamus, neque neceſſariò plenitudinem concurrere ad ven. ſect. deliberationem videbimus: quamuis citatis locis, ac aliis, illam interhortantia proponat. libro ad Glauc. ſyndromen refert omniũ, quæ omnino, ac nulla adhibita amplius diſtinctione, valent animum Medici mouere, ad illius auxilij deliberationẽ. quod citra illorum plurimorum præſentiam, exigente morbo, & viribus vnà aſſentientibus, ius non ſit ſcindere venas. licet enim, ac ſępè, extra illas ętates adoleſcentiæ, ac iuuentutis, extra ver, etiam in climate ac regione intemperata, ſanguinem haurire; ac cum maximo animalis commodo, hoc idem quotidiè experimur. quare illorum abſentia, auxilium in totum non dehortatur, ſed aut differt, aut minuit eius quantitatem, vt exemplis luſtrat Gal. lib. de curand. rat. per ven. ſect. c. 14. libro verò de ſectis ſynocham proponit, & cum hæc in ſua eſſentia plenitudinem includat, ceu eius efficiẽtem cauſsã, nihil mirũ ſi de ipſa ſit facta mẽtio. quid quod nec ibi ven. ſect. indicare affirmat, ſed vacuationẽ, *contraria enim hæc,* inquit, *multitudini eſt.* Quare plenitudo nõ reqritur neceſſariò ad vẽ. ſe. benè qdẽ ſi pręſẽs, hãc hortatur.

Sylloge totius Spicilegij, & probatur, ad venæ ſectionem nulla adſit neceſſe eſt plenitudinis differentia.

Cap. XXVI.

Vberè cuncta exprimere anguſtus noſtri huius ſpicilegij circus non patitur. quidem. hinc vniuerſam hanc doctrinam, quam faſtidioſam tot commentis parauit Augenius, breuibus nos modò claudemus terminis, ne hoc noſtrum, ad nauſeam, cum ipſis, ſuccreſcat opus.

Cæterum antequam ſynopſim hanc aggrediamur, leuem difficultatem, quam quiſque nobis obiicere poterat, prius exoluemus, An cùm plenitudinem reſpuat Galen. omnem intelligat, an quæ à Menodoto Empirico obſeruabatur, & in omni venæ ſectione neceſſariò requiri perperam exiſtimauit. Occaſio dubitandi ex verbis Gal. elicitur, cum ferè ſemper, dum de hac re mentio fit, illam Menodoti plethoricam ſyndromen redarguat.

Si rem altius contemplemur, hanc Menodoti tãtum, haudquaquam redarguere videbimus, imò & omnem Augenij plenitudinis differentiam, omnéſve eiuſdem gradus fiet palam, exploratis præſertim Galeni præceptis in vſu reuulſionis. nam in compeſcatione fluxus, omnem plenitudinem obliuiſcendam eſſe retur, etiam & quæ ad vires, cum in vacuo ferè corpore, & exangui venas ſecet, vt videre eſt libro 5. Method. capite decimoquarto, dum Epicraticam conſulit curationem, ſenſim vacuando, & ſenſim reſarciendo inanitum ferè corpus. hác rem, quaſi veritate cõuictus, paſſim in ſuis libris de ſang. miſſ. profitetur Augen. vt in caſu ab alto, ac in hæ-

hæmorrhagiis recellendis, citra vllam plenitudinis differentiã, dũmodò vires ſufficiant, præſtãdũ cẽſet.

Nihilominus adhuc & quidam ſpiritu diuites, nobis ſe offerunt, qui, etiam præter Augenium, certiòſè in omni ſectione venę, etiam in reuulſiuã, plenitudinem aliquam neceſſariò requiri tuentur, leui quadam pręmiſſa plenitudinis diuiſione in actu, & potentia, vniuerſali, ac partiali: & hanc ſaltem in reuulſiua reperiri debere rigidè aſtruũt. vnde in caſu ab alto, inquiunt, etſi actu in toto corpore non adſit plenitudo: tamen in contuſa parte futura expectatur. fluũt enim, ac quodam impetu, à natura ſanguis & ſpiritus tranſmittuntur ad læſam, ac dolentẽ partem; mox inculcato ibi affluenter ſanguine, particularis ibidem germinatur plenitudo: quam vt prohibeamus futuram, impellimur tundere venas. reuulſiua igitur ſectione, reſpicim⁹ huiuſmodi potẽtia plenitudinem. Hac arte ipſi, diſtãtes huius noſtri æui de hac re opiniones, cõciliare arbitrantur.

Verùm omni depoſita inuidiæ labe, cuncta hæc, ceu illa Oreſtis prodigioſa inſomnia. quia reapſe in reuulſione, cum motum tantùm æſtimet, à quo indicatur, ſiue ipſa pręuiſiua ſit, quę morbis futuris competit, ſiue curatiua, quæ morbis actu iam exiſtentibus debetur, per partem illam fientem, haudquaquam vllam reſpectamus plenitudinẽ, actu, vel potentia exiſtentem: cum primò morbum magnũ reſpectet, futurum, vel pręſentem, mox & humoris motum proximè, pręſentem itidem vel futurum. Et vt in eodẽ ĩmoremur exẽplo, in caſu àb alto morb⁹ eſt, ſolutio videl. cõtinui, ſiue manifeſta, ſiue abdita à cõtuſiõe orta, q̃, vt plurimũ dolorẽ ĩgẽtẽ parat. Nos, nulla actu exiſtente in corpore plenitudine, in hoc

affectu ſeriò de venæ ſectione decernimus re
ua, idque illicò; non propter præſentem mor
aut plenitudinem futuram; quia ille nec huii
di poſtulat remedium, imò vnionem indicat,
dolor anodyna: plenitudo, cum ſemper vacua
indicet, ſi actu non eſt, nequit indicare actu
eandem vacuationem; imò nec exiſtit aliquis
fectus, qui per ſe illud poſtulet auxilium, non
tio continuum, non dolor; quare delibetabim
hoc remedio ob futurum morbum, inflamm
nem videlicet, quam promptè fluxus parat, à
re excitatus. Huius itaq; morbi ratione cogim
vi methodi, primò, ac per ſe de tanto auxilio
nere, vt eundem præcaueamus imminente
dè cenſendum in curatiua reuulſione, in qua
bum itidem primò reſpicimus: compeſc
enim fluxum, non vt plenitudo in parte nõ fi
primò vt morbus non ſuccreſcat, & nouæ
aduentu, maximum non capiat incrementum
venæ ſectio primò ac per ſe morbum ſemper
ſentem, vel futurum reſpectat, haudquaquam
nitudinem actu, vel potentia, cum nec primò
per ſe indicet, ſed ſecundariò morbi ratione.
Redarguuntur adhuc amplius: In vera ac ſin
reuulſione per venę ſect. quæ potiſſimum in
exercetur hæmorrhagiis, quam plenitudine
ſpicient? non actu aliquam, cum iã eiuſdẽ pro
ratione inanitum ſit corpus: non potentia alt
cũ ſanguis extra corpus ducatur, & per conſe
priuatã aliquã plenitudinẽ excitare nequeat.
igitur nouatores hi, diſcãt priùs, mox ſanã d
nam, exploſis procul cõmentis, doceãt, profit
Sed ad penſum redeamus, & primum, ad

riorum dictis ſtemus, quod ad venatum reuulſiuã ſectionem aliqua non adſit neceſſariò, ac ſemper plenitudinis aliqua differentia. quo ſuppoſito, ac pro certo habito, demonſtremus nunc, quod neque ad vacuatiuam eadem adſit, ſit neceſſe. & ita vndequaque confirmata erit noſtra doctrina. Pro huius itaque partis veritate roboranda, hæc ſit ratio.

Si aliqua plenitudinis differentia eſſet neceſſaria ad vacuatiuam venæ ſect. methodo deliberandam in morborum curatione, hoc ideò, quia illa, aut huius remedij eſſet ſcopus, aut primò indicans. Sed nihil horum. Ergo ne neceſſaria plenitudinis aliqua differentia quantumuis ad vacuandum.

Prima propoſitio ita vera, vt nulla probatione indigeat. Nam in morbis, venę ſect. ſanandis, per methodum rationalem deliberata, tantum cum Galeno obſeruamus, & eiuſdem remedij ſcopos ſeu prępoſita, tum primum ac præcipuum indicans, quod morbus magnus, methodi carcer & incitamentum ad inuenienda remedia. reliqua coindicantia, nihil ad ſpecifici auxilij inuentionem iuuant, ſed eius vſum, quantitatem, & opportunum tempus potiſſimum declarant.

Rem exemplo luſtremus. ſit morbus magnus materialis, venæ ſectionem poſtulans, quales, qui ab humoribus trahunt originem, in quibus adhuc ſanguis ſuam ſeruet ideam: adſint porrò & huius auxilij tres illi ſcopi, quos cum Hipp. lib. 4. de rat. vict. ſen. 19. paſſim recenſet Galenus. Quis hauddubiè, vtcumque ſit rudis, de hoc auxilio venę ſectionis non decernet? cum his poſitis, nullum ædepol poſſit adeſſe coindicans, illud abſolutè prohibens auxilium, aut impediens: bene quidem differens

in aliud tempus, vt ventriculi cruditas: aut qua
tatem eiuſdem minuens, vt regio calida, canic
tempus, minima in vaſis ſanguinis redūdantia.
rum hæc, ne tantillū quidē ad huius auxilij inu
tionem præſtant, vti nec plenitudo, cum tantū
pioſam ſuadeat vacuationē, ſicuti minima minin

Aſſūptio probatur rurſus. In primis, quod nu
plenitudinis differentia ſcopus ſit. Nulla plenitu
nis differentia morbus magnus eſt, nulla robur
rium, aut ætas florens. Ergo. Porrò nec primò inc
cans venæ ſectionem, ob duplicem rationem, tu
quia nulla plenitudo morbus, qui primò indican
tum quia venæ ſectio, vt millies dictum, non ind
catur, ceu materies remedij. plenitudo fit aliquand
morbi cauſa, & tunc ſub morbo indicat, ex Galen
libro de curan. ratione per venæ ſectionem capit
9. Verum ſemper illa non adeſt, nec ſi adeſt neceſ
ſariò morbi cauſſa, & ſi fortè morbi cauſſa, tunc
coindicat potius cum morbo, qui primò ſempe
indicat. Cum igitur morbi plurimi, etiam materia-
les ac magni, & germinari, ac exiſtere per ſe valeant
citra plenitudinis, ceu cauſſæ, concurſum; & tamen
adſint reliqua valentia ad illius auxilij inuentio-
nem nos manu ducere, neceſſariò ſentiendum ad
eandem inuentionem nihil præſtare, ceu ſcopum,
neque illius auxilij indicantem eſſe.

Quod ſi obiiciant, falſum nos ſupponere, exiſti-
mantes reperiri poſſe morbum magnum materia-
lem, cui conueniat venę ſectio, citra aliquam pleni-
tudinis differentiam.

Veritatem luſtrabimus, cum poſſit aliqua medio-
cris humoris quantitas, aut propter eius cacoe-
thiam, aut propter præſtantiam partis, morbum
ma-

magnum excitare, & acutum: cui, ex vi methodi, viribus conſentientibus, quantum ipſæ patientur, lubet venas ſcindere, vt partim quantitatem illam minuamus, et morbum tollamus, reportata natura victoria, hoc paſſim videre eſt in cacochymis quibuſdam naturis, quibus vrgente morbo, ſolerter tamen ac ſerio, licet ſæpè venas tundere. Ergo ſemper morbi ratione venas ſecabimus, quia hic ſufficiens per ſe, ceu ex indicantium genere primus atque præcipuus, venæ ſectionem poſtulans. non itaque obſeruanda aliqua plenitudo, cum neceſſariò non cõcurrat ad huius ſpecifici auxilij deliberationem.

Hanc rem altero Galeni oraculo lubet modò demonſtrare, ex lib. 2. de comp. med. ſec. loc. cap. 1. excerpto, cuius ſplendore contenti, reliquos omittimus. *In doloribus capitis*, inquit Galenus, *qui à principio cum febribus irruunt, vena ſecanda eſt, poſt primam, aut ſecundam remiſsionem, niſi quid impediat, & præſertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo ſanguine redundantibus.* Hoc loco Galenus nudè, ac ſimpliciter, æſtimata ſolum morbi natura, venæ ſectionem conſulit. quia morbus, vt eodem loco idem refert Galenus, nobis tantum auxilia indicat, & ab illo primò deliberamus remedij materiẽ, adſtantib. vnà ſcopis: Verũ ad congruum illius vſum, ſeu opportunum tempus, requiritur abſentia impedientium. Porrò ſtatim ſubiungit, *& præſertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo ſanguine redundantibus.* quaſi dicat vrgente morbo, qualis dolor capitis, à principio cum febre connexus vena ſecanda: præſertim autem ſecabimus in optimo habitu, & corpore pleno; quia tunc nulla adhibita diſtinctione præſtandũ, cũ copioſam præbeat

auxilio materiem, & præcauemus ſimul ne plenitudo amplius morbi fiat cauſſa, aut efficiens, augens,aut ſeruans. quod inſinuat eleganter Galenus aduerbio illo *præſertim.* Interpretationem hanc pariter Augenius amplectitur lib.2.de cur.rat. per miſſ. ſanguinis c.8.quamuis impropriè ipſe, ac falſò ad ſolam iſtud referat reuulſionem. cum de hac ſola haudquaquam ibi loquatur Galenus, dum apertè de morbo facto partes ſimul fientes habente ſit ſermo. nam dum primam aut ſecundam remiſſionem expectandam ſuadet, neceſſariò morbum plurimas habere partes factas autumandum.Quare & reuulſio per fientes,& vacuatio per factas in hoc morbo exigitur,& vtroſque reſpectat ſcopos venæ ſectio optatur,quos exactè præſtat illa.

Tandem non illam Menodoti tantum,verum omnem plenitudinis differentiam demõſtratur Galenum reſpuere, in venæ ſectionis deliberatione. quia tum lib.de cur.rat.per venæ ſect.c.8.tum com. in libro 1.Hippocrat. de humor. ſentent. 12. & alibi, poſtquam plenitudinem omnem, in eam quæ ad vaſa diuiſerit, & alteram quæ ad vires: venæ ſectionem mirificè prodeſſe in ſanandis morbis, citra plenitudinis differentiam aliquam, ſtrenuè tuetur.Sed hunc audiamus citato cõ. iam præmiſſa illa plenitudinis diuiſione, *Iam verò nõ ſolum incidenda vena eſt cum ſubeſt plenitudo, ſed etiam ſine plenitudine in principio inflammationis.* Quare ex his Galeni verbis,cum vniuerſalia negantia ſint, colligitur manifeſtò illa negatiuè concludere de cunctis illis,quę in ſuperioribus affirmantur.negabunt igitur de omni plenitudine,quaſi nulla earum adſit ad venas ſecandas,ſit neceſſe.

Neq; miſerrimũ aduerſariorũ refugiũ incolumeſ

ſerũat:Galenum, cum dicant, illud tãtum concedere vtrobique de inflammationibus: quas ſtatim pro exemplo ibidem proponit, & hoc pro reuulſionis vſu,quem libenter in eiſdem admittunt, haudquaquam de febribus, de quibus habetur quæſtio.

Futilia hæc quidem,& quiſquiliæ.Nam reapſe in vtriſque affectibus vera doctrina: illuſtrat autem hanc; ſeu per ſe notius,inflammationum exemplo, etiam ſenſibus externis ſubiectarum. hoc enim debent præ ſe ferre exempla, vt per ipſa nobis doctrina reddatur manifeſtior, ac facilior. quod perbellè pręſtat Gal.& lib.2.de differẽt.feb.cap.13.14.15.& dilucidius adhuc lib. 4. meth.ca.4.dũ affirmet,eâdem methodo febres curari, ac inflãmationes,quia ambæ affectiones ſimiliter cauſſam habẽt, quæ ſi operari nõ deſierit, ſed adhuc affectũ augeat, & faciat, ei quamprimum prouidẽdũ ſit, ne amplius efficiat, & in vtroque affectu ab hac cauſſa inchoanda curatio. hinc in vtroque affectu quamprimum de venæ ſectione deliberamus,quæ apprimè huic cauſſæ præuidet,dum compeſcit fluxum aut ad particulam inflammatione obſeſſam ruentem, aut ad putredinis larem.Inſanũ enim eſt affirmare (vt abundè ſuprà oſtendimus)per totum principij tempus in febribus, vti & in inflammationibus fluxiones non fieri. Quare & in vtroque affectu duplex ſcopus, vt prohibeamus quod fluit,& vacuemus quod vtrumque exactè,inter cætera venæ ſectio præſtat, etiã & vna eadẽ numero.Proinde vt in curãda inflãmatione per ven. ſect.plenitudinẽ omnẽ cõtẽdit, pari ratione in ſanãda febre eâdẽ hauddubiè ſegeret meth.

Ad ſit in ea ſententia Gal. quamprimũ, quia tunc vtrique ſcopi vigent, cum actu morbi illi duas

aſſequantur partes, fientes, & factas: quibus vtriſque quàm citò opitulandum eſſe,docet ratio. hinc dictator ſummus lib.2. Aph.ſen.29. lege ſanxit, *In principiis morborum ſi quid videtur mouendum moue*. Conditionali illa vtitur,quia ſemper non licet mouere, vt in morbis deploratis, quibus ſola debetur prædictio. Mouendum igitur in ſalubrium principio: non ſolùm,vt interpretatur Galenus in com. quia illud tempus remiſſius, ſed præſertim, quia eo tempore illi ambo (vt diximus) vrgent ſcopi: quibus ſatisfactis,ſi in totum morbum non auferimus, (auferimus omni ex parte aliquando iugulando ſtatim febrem,ſi licet verbis vti Galeni) ſaltem magnitudinem eius tollimus, cùm præcaueamus fientem iam à ſua actione ceſſare, & minuamus factam, & iam in parte inculcatam, aut viciniorem ſaltem. In aliis verò morbi temporibus non licet per ſe, per accidens aliquando ius: aut quia non vocatus Medicus niſi in ipſo morbi augmento,plenitudine aliqua adhuc vrgente,quæ cùm non ſit in morbi principio depleta,fas in ipſo augmento eandem tollere: aut per aliam quamcúque cauſſam nō libuit ſarcinam deponere in principio,eandē autem in incremento licet, cùm morbum augeat,aut augere ſit parata. Excipimus modò alicuius ſymptomatis occurſum, aut alterius complicati affectus, quorum ratione vrgemur deliberare de venæ ſectione,non in incremento tantùm,verùm & in ipſo ſtatu.quod viſus eſt inſinuare Galenus lib. 9. Meth. cùm in curandis ſynochis dicat obſeruandos eſſe dies, cùm ſemper & in omni tempore indicatio vrgeat à plenitudine, propter quā, ceu vnicam præſertim morbi cauſſam,in quolibet

libet tẽpore ſanguinem hauriſſe ſeriò deliberamus.

Sit modò concluſio: In inflammationibus, ac putridis febribus liceat citra plenitudinis aliquam differentiam venas incidere: haudquaquam citra eandem in alijs temporibus, in quibus ſolus poteſt vrgere vacuationis ſcopus, ob aliquam plenitudinis differentiam, tunc pariter vrgentem. ſub principio autem primam ſaltem incrementi partem includimus, in qua, adhuc aliqui, etſi iam declinantes perſeuerant fluxus, & aliqua nihilominus apparent, ac imperfecta ſanè coctionis rudimenta. quod innuere intendit dictator, ſub illis oraculi verbis, *Incipientibus morbis ſi quid mouendũm videtur, moue. Vigentibus autem quieſcere multò præſtat.* quo loco inter principiũ, ac vigorem, incrementũ non interpoſuit: quia ceu medium vtroq. participat extremo. prima enim pars ad naturã accedit principij, ſub qua licet adhuc mouere: vltima, ac itidẽ media, cũ tũc intẽta ſit natura coctioni, quã pficit in vigore, & huic tẽpori ſit affinis, ac ſymbola haudquaquã.

Aduerſus hanc doctrinam occurrit experimentũ, occurrit & vſus aſſiduus, nec leuibus cõmendatus vtilitatibus. Medici enim plurimi, in febribus præſertim chronicis, remiſſa iam omnino acutie, à qua vtraque cauſa exantlatæ vires, exhauſtúſve ſanguis, nulla relicta in corpore plenitudine, vt eandẽ febrẽ exoluant, de venarũ ſectione decernũt, & illas ſecãt, quæ in extremis reperiũtur manibus: cuius ſectionis, hiſce noſtris tẽporibus maximus vbique increbuit vſus, nec futilis fortè. quãuis illorum rationib. ne aſſentiamur, dũ & vires hâc minùs lædere, & potẽtiùs recellere autumẽt. Sed cũ his abũdè ſuprà ſit ſatisfactum, his omiſſis priori difficultati ſatisfaciemus modò.

Hippocrates in illo Aphoriſtico oraculo de morbis loquitur acutis, & eoſdem ſanandi methodum tradit. patet potiſſimum ex conſequutione ſubſequentis ſententiæ, quam Galenus in commentario cum ipſa connectit. & cum Hippocrates in altera, acutorum morborum deſcribat typum; per ſua diuidens tempora, neceſſariò & de morbis acutis erit ſermo in illo oraculo. Horum hæc eſt ſeries, cum in vigore morbi acuti, & in his præſertim, in quibus humor ad vnicam ſeruatur expulſionem, coctionis, ac criſis ratione vehementiora ac fœtiora ſint omnia ſymptomata, ac vegetior multò morbus: in principio autem ac fine, etiam per vtramque rationem eadem omnia remiſſiora. in principio, quia adhuc natura coctionem humoris non aggreditur, diſtat à procinctu criſis, quam reſpuit ſub cruditate: in fine, quia humor iam coctus, acvictus, natura citra vllam pugnam, dulci fruens pace, atque quiete. Rurſus, cum Medico locus operandi commodus, quando minus grauatur natura, & remiſſiora ſunt omnia, ceu tunc opportunum ſit tempus, ne aliâs, & auxiliorum commotione, & hoſtilitate ſymptomatum, ac morbi ſæuitie, ſimul in vnum concurrentibus, quaſi certò natura ipſa ſuccumbat: proinde ius, ſub vtroque illo extremo operari, quãdo minus oppreſſa natura, quando nec coctioni intenta, à qua reuocare, piaculum. Quid quod & incipientibus, reuulſionis, & vacuationis vrget ſcopus, in eorundem fine, ſi natura nihil adhuc præſtiterit, aut imperfectè cauſſam morbi dimiſerit, vrget pariter & eiuſdem cauſſę vacuationis ſcopus. In chronicis autem morbis diſpar ratio: quia quamuis in his, aliqua à parte rei temporum fiat mutatio; tamen,

men, vt Galenus dixerat lib. de diæta Hipp. cap. 9. & occulti in his paroxyſmi, difficilis itidem totius conſtitutionis morbi temporum diſtinctio, imò & quibuſdam quaſi imperceptibilis, neque ſymptomata in his aut ſæuiunt, ac vrgent: quia naturâ ferè comparatum eſt, imò & ſumma Dei clementia, vt diu, ac multum dolere non valeamus, nec diu, ac vehementer affici. Quare cum in his ſæuientia non adſint ſymptomata, nec vllatenus vigeat morbus, remediorum vſus vſquam non impedietur; cum tempus placabile ſemper, lene, blandum. Præterea, nec quia chronicus morbus, licet in principio vnà ac multũ vacuare, quia vires laberentur valdè, quas robuſtas ſeruare ius, vt percurrere valeant diutinũ illud tempus, ne in medio ſubſiſtant itinere. hinc accurata methodo fas eſt, in hiſce morbis ſenſim, ac lento gradu, etiam per diuerſa morbi tempora, materiem vacuare inutilem, morbi cauſſam efficientem. iſtud & morbi typus, & vnà vires tutò, ac commodè ſuſtinebunt. Quamobrem hæc per venæ ſectionem vacuatio, ſiue in extrema manu fiat, ſiue in cubito (quam multò efficaciorem cenſeo) per varia morbi chronici tempora citra alicuius plenitudinis differentiam, vtiliter exercebitur: inſpecta duntaxat & morbi natura ac conſtitutione, indicante vnà cum eius cauſſa paulatinam aliquam vacuationem: quæ citra plenitudinem; etiam in ſtatu alicuius morbi acuti, ne requiritur quidem.

Neque proinde modò euentationis vſum in hoc auxilio, cum quibuſdam admittimus: cum huius remedij præcipui ſcopi paſſim à Galeno tres tantum aſſignentur, reuulſio, deriuatio, & vacuatio, neque plures, aut pauciores, quorum nutu mouemur

aut ob motũ,aut ob plenitudinem, hæc indicat v cuationem, ille ſi magnus reuulſionem, ſi minor circa ſedem affecta n deriuationem: verum, n proinde alteros illos vſus refrigerationis, & eue rationis negligimus, cum per accidens hos ſub qui ven. ſect. arbitramur: propter quos nefas q dem de tanto auxilio deliberare.

Deniq; & altera ratione, Gal. doctrina robora oſtendemus, citra plenitudinis aliquã differentia nobis licere in febriũ principio, vti & inflamn tionum, haurire ſanguinem. ídque propter maxi vtrorumque affectuum, iã à nobis ſuprà expoſit affinitatẽ. Gal. itaq; l. 1. Aph. ſen. 23. in vtroq; affeć febri videl. ardenti, ac inflammatione ingenti, n ſolum ven. ſect. conſulit, verum & propter eoru affectuũ vehementiam, ex hypotheſi maximam, lipothymiam vſque. Rurſus & cum eiuſdem au referat vtilitates, commendet commoda, hæc ii loribus, ac febribus, neglecta inflammatione, c ſequi recenſet. Neque alia huius rei poteſt aſſig ratio, quàm quod in febrib. ac inflammationib. quidem ratio, iuxta huius auxilij vſum, comm in vtriſque in vnum conueniunt: quæ, cum dol diſpares potius. Rẽ penitiùs luſtremus, huius au lij vſus par quidem vtrique affectui, quia illius neficio, & fiens præcauetur, & factũ vacuatur, i triſque itidem excellens illa calida intemperies, vtriſque communẽ ſupponimus, lipothymiæ b ficio, quaſi extinguitur: quo ferè extincto pręter turam calore, natura roboratur, vt penitus cau morbificam, ſibi moleſtam & oneri, expellat: ne grè ad hoc munus accingitur, cũ vt inquit ibi Gal. & aluus aliquando ſoluatur, & aliquibus v

I

timi erumpant ſudores, hæc in ſummis doloribus contingere nequit, cum contentum humorem nõ habeat, cauſſam efficientem ſemper ac primò, ſed continui ſolutionem. imperatur autem his venæ ſectio ad lipothymiam, ceu terminum ac carcerem permagnæ reuulſionis, nõ præſentis neceſſariò fluxus, ſed futuri: nam cũ dolor, ex Gal. l. 2. de diff. feb. c. 15. & 13. meth. c. 3. 4. 5. & alibi, inter cauſſas attractionis connumeretur, ſi maximus hic ſupponatur, maximum pariter valens & habilis fluxionem concitare. cui ad proportionem & maxima debetur reuulſio; quam præſtat illa ad lipothymiam venę ſectio. Propter has itaque cauſſas, diſpareſque vtilitates hoc præſtans, ac maximum remedium in hiſce tribus affectibus noſter ſuadet clariſſimus Galenus.

Totius operis concluſio.

Ad vltimum iam carcerem feliciter acceſſimus, & diuino afflante Numine (quod nobis & velle dedit & perficere) huic operi extremam impoſuimus manum, Kal. Maij, anno à Virg. partu cIↄ Iↄ cxi Barcinonæ illuſtris Cataloniæ metropolis, & inter Hiſpanicas vrbes celebris: Gerunda verò, etiam eiuſdẽ regni & Sanctorum fertilitate, literaria, & militari nobilitate, antiquitate pariter, fructuum vbertate, ac aeris ſalubritate vrbe clariſſima, nati: Cũcta, quæ in eo continentur correctioni S. Matr. Eccl. Rom. Cathol. & Apoſt. in cuius candidis vberibus diuinũ nos paſcimur nectar, ſubiecta ſemper volumus, nóſque ſubiici, pro ſummi Dei miſeratione lubenter profitemur. cui, ceu Regi ſeculorum, immortali & inuiſibili, Patri, Filio, S.S. Triadi æternæ, ineffabili vnitati laus ſit, honor, virtus, gloria, & gratiarum actio in ſeculorum ſecula. Amen.

FINIS.

A01 1468393

Digitized by Google

Digitized by Google